8
7-B
34

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
33 B
35

8.-4.B.34

I O 14

VERA ET SIMPLEX

NARRATIO COLLOQVII INTER viros delegatos habiti; tùm, qui Ducis Meduani, Status ac Coronæ Galliarum Locum-tenentis generalis, Principum etiam, Prælatorum, ac publicorum, quæ Pariſijs habita ſunt, Regni Comitiorum: tùm qui Principum, Prælatorum, Nobilium, cæterorúmque Catholicorum, qui Regi Nauarræ adhærent, nomine conuenerunt.

PARISIIS,

Apud FEDERICVM MORELLVM, Typographum Regium.

M. D. XCIII.

NON SINE PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. Andrea della Valle.

VERA ET SIMPLEX NARRATIO
Colloquij inter viros delegatos habiti: tùm qui Ducis Meduani, Status ac Coronæ Galliarum Locum-tenentis generalis, Principum etiam, Prælatorum, ac publicorum, quæ Pariſijs habitá ſunt, Regni Comitiorum: tùm, qui Principum, Prælatorum, Nobilium, cæterorúmque Catholicorum, qui Regi Nauarræ adhærent, nomine conuénerunt.

EXCELLENTISSIMVS Dux Meduanus, Status ac Coronæ Galliarũ Locum-tenẽs generalis, cùm ſũmo ſemper ſtudio, pro muneris atque poteſtatis ſibi delatæ ratione, vias omnes inueſtigaſſet, quibus Catholicam, Apoſtolicam ac Romanam Religionem conſtitueret, Regni ſtatum ac Coronam ſartam tectámque ſeruaret, pacem denique in ea rebus compoſitis ſtabiliret; nullam tamen magis tutam, magíſq; ſecurã iudicauit, quàm,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſi publica Regni Comitia coëgiſſet: quę ſæpius iam ante indicta, vt tamen ſerius opinione conuenirent, grauiſſimæ, quæ inciderunt, omnibúſque notæ difficultates, in cauſſa fuerunt. Tandem verò cùm delectos ex omnibus Prouincijs, vrbibúſque Catholicis viros videret aduentare, remedij tantis ærumnis inueniendi ſtudio incitatos, publicum illum trium ordinum Conuentum, Pariſijs, menſe Ianuario habendum, indixit. Atenim cùm præſentiret animo, vera reſtituendæ Religionis Regníque fundamenta, ſuper Catholicorum reconciliatione iacienda, quò deinde ſenſibus animíſque coniuncti, idoneas, ad tantùm boni conſequēdum, vias, communibus cōſilijs, inirent: vt omnem etiam ijs præcideret querendi anſam, qui ſe non vocatos eſſe dolerent, eámque ob rem ea conſilia improbandi, quæ omnibus ſimul ordinibus placuiſſent: re in deliberationem adducta, de conſilij ſententia, ſuam omnibus mentem ſcripto patefecit, quod ſtatim in vulgus emiſit. Quo quidem Catholicos omnes admonuit, qui ab Hæretici ſtarent partibus, ab Hæretico vti diſcederent: Principes etiam, Prælatos,

Magiſtratus, Nobiles, alióſque Catholicos eſt obteſtatus, vt remiſso hæreticorum ſocietati nuncio, publico illi comitiorum conuentui intereſſent; aut certos ad illum deſtinarent, qui ea proferrent in medium, quæ ad reſtituendam in priſtinum Religionem, Regníque pacem, pertinere ſentirent. Quam ad rem fidem eis publicam, honorem etiam, ac reuerentiam, pro ſuo cuîque ordine, dignitate, meritóque habendam, recepit. Quæ Ducis Meduani conſiliorum mentíſque patefactio, ſupremi Senatus authoritate comprobata, & publicis eiuſdem monumentis inſcripta, Nonis Ianuarij, de more promulgata eſt, ijs omnino verbis, quibus hîc habetur deſcripta.

CAROLVS a Lotharingia, Dux Meduanus, & Status Regníque Galliarũ Locumtenens generalis: Omnibus, in quorum manus præſentes venerint, Salutem. Perpetuus, idémque illibatus religionis atque pietatis, in hoc Regno, cultus, non aliud, in cauſa fuit, cur præ cæteris orbis Chriſtiani Regnis, floreret maximè, qui etiam Reges noſtros Chriſtianiſſimorum, ac primogenitorũ Eccleſiæ filiorum titulis, exornauit. Declaratio Ducis Meduani.

Quorum alij, vt hos inſignes titulos ſibi compararent, eóſque hereditario iure ad poſteros tranſmitterent, maria traiecerunt: extremas etiam mundi oras, cum maximis copijs, peruaſerunt, vt feris ac infidelibus populis bellum inferrent. Alij plurima cum eis grauiſſimáque bella geſſerunt, qui nouas, contra maiorum fidem ac Religionem, ſectas inueherent. Quibus in expeditionibus nunquam eis nobilium arma defuerunt, qui vltrò alacréſque fortunarum ac vitæ ſubibant aleam, vt in illius, quæ vna vera eſt ſolidáque gloria, venirent communionem: quòd egregiam nempe, in tuenda domi Religione, nauaſſent operam: vel eádem per exteras quoque gentes propaganda, ad quarum aures nunquam antea veri, quem colimus, Dei nomen, nedum cultus Legéſque veniſſent. Quamobrem præclaris iſtis facinoribus, magnam vbique zeli, fortíſque animi celebritatem adepti ſunt; alióſque Reges ac Principes, ad huius laudis æmulationem, mirum quantùm exemplo animarunt. Ille autem recti ac ſinceri animi candor, non ante in Regum noſtrorum, ac Gallorum hominum refrixit, aut defecit pectoribus, quàm vbi, extremis hiſce temporibus, latè Regno ſe infudit hæreſis, adeóque ijs artibus inualuit, quas nouerũt omnes, quáſque

commemorare graue ſit, vt eo denique loco res venerit, vt Catholici, quos Eccleſiæ conſenſionem perpetuo inter ſe oportuit arctiſsimóque vinculo colligare, nouo ac prodigioſo exemplo, in ſe mutuò arma conuerterint, quæ melius in Religionis hoſtes, pro Religione, vertiſſent. Quod peſtiferis hæreticorum conſilijs eueniſſe credimus, quæ illi nempe commenti ſunt, vt perſuaderent Catholicis, bellum hoc Regni aut inuadendi, aut diſsipandi, non Religionis tuendæ cauſſa, eſſe ſuſceptum. Etſi tam iuſto dolore commoti arma cepimus, aut potius tanta neceſsitate compulſi, vt non aliò belli cauſſa, quàm in eius autores conſilij referri poſsit, quo nullum, poſt homines natos, Principi datum eſſe meminimus, magis tetrum, magis infidum, magíſque peſtiferum. Acceſsit eòdem Regis interitus, quem cœleſtis vis quædam perculit, ac vnius homunculi manus confecit, neque iuuantibus ijs, neque verò conſcijs, quibus tamen ſatis cauſſæ datum eſt, vt eum optarent. Quamuis etiam, nihil nos aliud conſilijs, armíſque agere, quàm, vt integrum Statum, Regnúmque tueamur, & Regni legibus, moribúſque obſequamur, ſatis nos ſuperque teſtati tùm fuimus, cùm Cardinalem Borbonium, proximum è Regio ſtemmate,

primúmque Principem, Regem agnouimus. Quem Rex ipſe priuſquam è viuis excederet, talem dixit atque declarauit: illo ſcilicet ſuo diplomate, quod Curiæ ſupremæ comprobarunt: quémque ſibi hoc eodem nomine, ſucceſſorem deſignauit, ſi abſque maſculo herede obiiſſet. Ideóque faciendum nobis fuit omnino, vt hunc illi honorem haberemus, omnem etiã obedientiam, fidem, obſequium præſtaremus: quod facere nobis erat in animo, ſi diuina pietas his illum, quibus tenebatur, ſoluiſſet vinculis. Quòd ſi Rex Nauarræ, qui vnus ſecundùm Deum id potuit, hoc beneficio Catholicorum gratiam demereri voluiſſet: atque illi, vt Regi ſuò ſubiectus, & dum vitam naturæ reddidiſſet cupiditati moderatus, ad imbibendam doctrinam Catholicam, & pacem ab Eccleſia exorandam, hanc ocij opportunitatem contuliſſet, non dubium quin, ſacræ vnionis Catholicos ad eandem ſibi, poſt Regis auunculi ſui mortem, obedientiã fidémque præſtandã paratos, offendiſſet. Verùm cùm in ſuo ille errore perſiſteret, id facere nobis integrũ non fuit, ſi ſub Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ obedientia, Catholici manere vellemus, quæ illum à fidelium communione ſeiunxit, & omni quod ad Coronam prætendiſſet iure, ſpoliauit. Adde quod, ſi nos id auſi. aut

conati fuiſſemus, priſtinũ morem illum viſi eſſemus infringere, tãta religione, tot iam ſeculis, obſeruatum, & tot Regum ſucceſsione, iam inde à Clodoueo firmatũ: vt neminẽ in Regni ſolio fas ſit conſidère, niſi Catholicum, obſequentẽ Eccleſiæ filium, qui denique in ipſa inauguratione, cùm ſceptro ac Corona inſignitur, non ſuam iureiurando fidem obſtringat, acturum ſe in ea vitam, vitámque in ea depoſiturum: fidem etiã propugnaturum Catholicam, ac hæreſes, pro virili, profligaturum. Quod primum eſt Regum noſtrorum iuſiurandum, quo nititur Sacramẽtum illud, quo eis protinus ſubditorum obedientia, fidéſque ſpondetur: quod ſubditi niſi primũ acciperent, tantùm fuit Catholicæ Religionis ſtudium, nunquam ei habenas Regni permitterent, qui patrijs alióqui legibus, ad eas ſe vocari gloriaretur. Qui mos tam ſanctus, adeóque ad Regni incolumitatem neceſſarius, à publicis Regni Comitiis iudicatus eſt, quæ Bleſis, anno 1576. celebrata ſunt, cùm nondum Catholicorum animi in Religionis cauſſa eſſent diſtracti, vt pro principe ac fundamentali, quam dixerunt, Regni lege, haberi voluerint: & Regis autoritate atque conſenſione, delectos ex ſingulis ordinibus viros duos, ad Regem Nauarræ, Condæique Principem, legatos decreue-

rint: qui eis primùm, cui ſe periculo obieciſſet, exponerent, cùm ab Eccleſiæ Catholicæ communione defeciſſent: cùm ea deinde vt redirent in gratiam, etiam etiámque ſuaderent: ni facerent, omni eos, tanquam inhabiles, quod ſuo ordine locóque obtigiſſet, Regni iure mulctandos eſſe, denunciarent. Vt illa declaratio, quæ Rothomagi, an. 1588. facta eſt, quæque poſtremis, apud eaſdem Bleſas, Comitiis, rata, gratáque habita eſt: vt vetus illa conſuetudo, léxque fundamentalis perantiqua omnibus poſt ſeculis, intacta integráque ſeruaretur; nihil quicquam ſit aliud, niſi iudicij ſuperioribus comitiis ſuper ea re habiti, quædam approbatio: quibus comitiis nulla potuit iuſta ſubeſſe ſuſpicio, vt eorum debeat damnari ſententia autoritáſque refutari. Quocirca qui nuper obiit Rex Henricus, hanc etiam in Regni legem admiſit: quam ſeruaturum ſe in poſterum, & ipſe iuramento ſuper Euchariſtiæ tremendo Sacramento ſe obſtrinxit: & ſinguli trium ordinum delegati, cum ipſo iterũ, poſtremo conuentu, in eiuſdem legis verba iurarũt. Nec id tãtùm ante immanes illas trucidationes, quæ tantam illius nomini infamiæ notam inuſſerunt: ſed poſtea quoque, cùm nec eos qui occubuiſſent, metueret, & eos omnino deſpiceret, qui ſupereſ-

ſent : quorum etiam perditam ac deſperatam ſalutem prædicaret : ea tantùm cogitatione vt id facere vellet adductus, quòd officij munus id à ſe putaret exigere : vt omnes etiam Principes ijs legibus teneri certum eſt, quæ præcipuæ ſtatus columnæ, baſeſque potius eſſe reputantur. Catholicos igitur in Religionis negocio coniunctos, nemo iurè reprehendat, qui Eccleſiæ decreto paruerint, maiorum exemplis inſtiterint, legi denique Regni principi obſecundarint. Quæ lex in eo Principe, qui ius ſibi ad Regnum adſcribat, præter ſanguinis proximitatem, id etiã ac imprimis poſtulat, vt ſit Catholicus : dotem in eo apprimè neceſſariam, qui ſit ei Regno præfuturus, quod ſibi Chriſtus Euangelij virtute ſubiecit : quódque, tot à ſeculis, ſalutaria Chriſti inſtituta ſuſcepit, & ad eum planè morem ſuſcepit, quem Catholica, Apoſtolica & Romana Eccleſia in hunc diem conſeruat. Hæ cauſſæ ſpem nobis iniecerant, ſi quos Catholicos officij quædam ſpecies Regi tenebat affixos, fore, vt cùm ille ceſſiſſet è vita, Religionis vinculum, quo non aliud ad conſociandos homines firmius eſt, illorum mentes ad eius rei defenſionem coniungeret, qua nihil charius illis eſſe par fuit. At contrà, præter hominum opinionem, euenit : quòd facile fuerit eis perſuadere, repentino iſto

animorum motu, nos illius cædis fuiſſe conſcios, de qua ne nobis quidem venit in mentem: ſuæque eſſe exiſtimationis, vt Regi Nauarræ adhærerent, qui de illa repetiturum ſe pœnas vulgaret, & Catholicum intra ſex menſes fore confirmaret. Quam in cauſſam cum illi eſſent ingreſſi, offenſiones, quas ciuilia bella producunt: proſperi rerum euentus, qui illi contigerunt: & calumniæ, quas eaſdem in nos ſpargere Hæretici nunquam deſierunt: hæ ſunt cauſſæ veriſſimæ, quæ illos in eiſdem partibus tenuerunt longius, quibúſque adeò Hæreticorum creuerũt opes, vt Religio etiam Regnúmque periclitetur. Etſi verò illa diſſenſio quid cladis importatura eſſet, multo ante proſpeximus: eandémque, Catholicorum armis & ſanguine, viam hæreſi conſtituendæ patefacturam: ſolum verò huic incommodo, in Catholicorum inter ſe redintegrata gratia, ſitum eſſe remedium: quam ideo omni ope ſtudióque ambiuimus; vt tamen ea potiremur, perficere nunquam potuimus: adeò alienatæ erãt hominum mentes, adeóque perturbationibus occupatæ: quæ etiam ita hactenus noſtros perſtrinxerunt oculos, vt non obſcura ſalutis noſtræ remedia nondum videamus. Sæpenumerò cum eis per quoſdam egimus, vt in noſtrum colloquium ac congreſſum venirent, nos

in eorũ vltrò venturos, vt de tota re deliberaremus. Significandum eis ac Regi Nauarræ curauimus, maximè cùm de quibúſdam actum eſt ad Regni pacem opportunis remediis, ſi hæreſin ille eiuraſſet, ſi in Eccleſiæ ſe vnionem, ſummi Pontificis, ac ſanctæ Sedis recepiſſet, nec id ſimulata, ſed ſincera conuerſione, cuius ſcilicet teſtes pignúſque tradidiſſet, actiones eas, quibus liquidò illius animus, & in noſtram Religionẽ zelus conſtaret: nos obſequium noſtrum, & quicquid noſtræ facultatis eſt, paratos impendere, vt aliquid, ad finiendas communes miſerias, opis afferremus: & in eo negocio eo candore eáque alacritate verſaturos, vt de noſtra mente atque voluntate, quin ea ſemper extitiſſet, nullum cuiquam ambigendi locum relinqueremus. Quæ quidem conſiliorum communicatio, tùm temporis à nobis profecta eſt, cùm ſecundiore rerum curſu, facultatis ampliùs haberemus, ad audendum aliquid atque moliendũ, ſi id nobis fuiſſet in animo, & non magis, vt publicis commodis regníque ocio ſeruiremus. Quibus ille, quid reſponſi dederit, norunt omnes: paſſurum ſe nimirum non eſſe, vt ſubditi vim ſibi facerent: cùm vim diceret preces eas, quibus, Eccleſiæ vt ſe redderet agebatur: quas potius boni debuiſſet æqui-

que conſulere ; quæ pote ſalutaria de officio conſilia eſſe cognoſceret. Ad cuius munus exoluendum, non minùs Rex quiuis potentiſſimus, quàm minimus quiſque obligetur. Qui enim Chriſti ſacris initiatus fuerit, ídque in vera Eccleſia, quæ noſtra ſola eſt, cuius ideo nunquam autoritatem ſinemus controuerti, huic non magis liceat ab ea aliquandò deficere, quàm militi ſacramentum, quo ſe imperatori adſtrinxit, reuocare : niſi vt hic militiæ deſertor ac transfuga ; ſic ille diuini & Eccleſiaſtici iuris contemptor, velit exiſtimari. Quibus etiam hoc ille adiecit, cùm ſubditi honorem ei omnes, atque obſequium, vt Regi ſuo, detuliſſent, indicturum ſe liberum atque generale concilium, cui ſe erudiendum Rex ipſe ſiſteret. quaſi verò nouis opus eſſet, ad eum errorem relegandum, conciliјs, quem Eccleſia damnauit toties, totiéſque profligauit. Sed poſtremum imprimis, quod Tridenti conuocatum fuit, concilium, quod nulli eorum, quæ à multis ſeculis extiterunt, vel celebritate, vel autoritate, conceſſerit. Cùm deinde res illi ex voto fluerent, eò quòd victor abијſſet ex prælio, eædem illi obſecrationes iteratò factæ ſunt : non à nobis, qui non eo eſſemus loco, vt id pulchrè faceremus : ſed à viris ornatiſſimis, publicæ pacis & tran-

quillitatis ſtudioſis. Tùm denique, cùm obſeſſã tenuit Pariſiorum ciuitatem, his eiſdem apud illum viſi fuerunt inſignes quidam Prælati, qui ciuium nomine, vt aliquod malis ſolatium inuenirent, ad illum legati adierunt. Quo tempore, ſi ſe ille ad id comparaſſet, aut potius ſi hanc illi Deus ſuo ſacroſancto ſpiritu mentem inſpiraſſet, ſine quo ad ipſius Eccleſiã, nulli vnquam patere poteſt aditus, in meliorem de ſua conuerſione opinionem Catholicos adduxiſſet: qui ſuſpicioſi meritò atque difficiles in ea mutatione exiſtunt, quæ ad Dei honorem tantopere, ipſorum conſcientias, vitámque attinet: quæ tuto eſſe loco non poſſunt, vbi hæretici rerum potiantur. Spes verò, quam maximã de Pariſiorũ expugnatione conceperat, & hoc exẽplo ſuorũ armorum terror, quem ad omnes vẽturum ſperabat, præſidia denique quæ ad reliquam Regni partem occupandam Pariſiis ſibi præſtò fore confidebat: vt illa reijceret, de ſuo ad Eccleſiam reditu, conſilia effecerunt: quæ Catholicorum inter ſe deuincire animos, ac religionẽ conſeruare potuiſſent. E quibus diuturnæ obſidionis periculis cùm Dei tandem pietate emerſiſſent: Principum etiam, Ducum, ac delectæ nobilium manus auxiliis: illis denique opportunis ſuppetiis quæ à Catholica Maieſta-

*te venerunt : quo nomine magnæ illi deben-
tur gratiæ , vt illius opes ac copiæ huic nun-
quam cauſſæ defuerunt : quas ſuppetias felicis
memoriæ Dux Parmenſis adduxit , quem no-
minis fama rerúmque geſtarum gloria immor-
talitati conſecrabit: Pariſiis inquam tanto pe-
riculo liberatis, ad priores nihilominus ſpes
illas, conſiliáque, Rex idem Nauarræ conuerſus
eſt; quòd vt primùm ſoluta fuit obſidio, externæ
illæ copiæ in Belgium cunctæ repedarunt . Ipſe
verò ſuis edicto conuocatis, quos ſemper ad nu-
tum paratos habuit, permagnum ſubitò equi-
tatum collegit: quo per agros excurrens , impu-
nè, ac nemine repugnante graſſatus eſt. Tūc
ſcilicet apertè, ac omni procul ſimulatione per-
uulgauit; de conuerſione cum ipſo agere, niſi
poſtquam ſub eius omnes iura veniſſent, id eſſe
crimen graue cumprimis: nos teneri arma depo-
nere : nudos illi ac inermes ſupplicare : fortunas
noſtras illius arbitrio, vitam ac religionem per-
mittere : vt ius liberé vti poſſet, ac abuti vt col-
libuiſſet. Quod, qui feciſſet , non dubium quin
certiſsimo expoſitam periculo religionem , per
ſummam ignauiam , ſcelúſque prodidiſſet, cùm
nos potius ea ſemper opinione ac ſpe fuerimus;
Dei gratiam nunquam nobis eſſe defuturam:
Apoſtolicæ Sedis authoritatem, opéſque affore:*

cùm

tum Regis Catholici ac Principum cæterorum ſubſidiis, quos hactenus huic cauſſæ videmus ſtuduiſſe. Qui omnes, omnem de rebus noſtris curam deponerent, ſi iugum illius noſtræ ceruices induiſſent. atque ita, lõge ſuperioribus hæreticorũ conditionibus, de religione decerneretur inter illũ, caput ac propugnatorẽ hæreſeos, qui totis Regni viribus, noſtraq; armatus obedictia, exultaret, ac nos, qui ad illius conatus refellendos, ſolis nudiſque precibus eſſemus inſtructi; quas ille grauatè nimirum audiret, nedum rebus afflictis prouidendo, exaudiret.

Quantumuis iniqua fuerit voluntas iſta, eique parêre procliuis ſit ad Religionem euertendam via, plerique tamen ex ijs, qui illius partibus fauent, Catholicis, in animum ſuum induci paßi ſunt; ſi quis ſe illi opponat, Maieſtatis crimen id eſſe, nóſque potius illius obſequi par eſſe mandatis, nouiſque, quas inducit de Republica legibus, obtemperare, quàm ſanctißimis Eccleſiæ decretis, Regúmque ſuperiorum ſtatutis morem gerere: quorum, quòd in iura ſuccedat, Regni ſolium ſibi deberi contendit. Qui tamen, vt hæreticos recipiamus, nulla nobis exempla reliquerunt; quin potius vt in eos bellum moueamus, longeque eos ablegemus, vehementer autores fuerunt: vt denique nullum aliud ma-

gis iuſtum, magiſque neceſſarium bellum arbitremur, etſi cum multis periculis ac difficultatibus implicatum videatur.

Meminerit quòd ipſe toties Regibus noſtris bellum intulerit, vt nouam Regno doctrinam inueheret: quòd ſcripta plurima, & famoſi libelli in eos exierunt, qui illius conſilijs armíſque reſiſterent: & malum, quod primo ſui ortu eſſet infirmum, maturè opprimendum ſuaderent: quòd denique iuſta eſſe ſua arma pugnauerit, quæ pro Religione, vt aiebat, conſcientiáque militarent. Enimuerò priſcam nos & auitam Religionem propugnamus, quæ ſimul cum Regno nata ſit, & quicum ea Regnum incrementa ceperit, vt omnium Chriſtiani orbis Regnorum primum ſit longéque potentiſſimum. Quam religionem ſatis nouimus, ſinceram & extra aleam, ſub hæretico Rege, eſſe non poſſe: quamuis initio, vt arma nobis eripiantur è manibus, & ille nullo repugnante dominetur, diſſimulent, ſpondeántque contraria. Vicinorum exempla, ratio ipſa, vſus rerum quotidianus, nos facere deberent cautiores: quæ ſubditos ad Regum ſe vitam, mores, ac religionem componere ſatis oſtendunt: quo gratiam apud eos maiorem ineant, & honoribus doníſque aucti floreant, quæ ſoli in quos volunt profundunt. quorum alios, vbi blanditiis gra-

tiáque corruperunt, cæteros deinde, vi ac autoritate, facile quò volunt impellunt. Homines ſumus, & quod ſemel fas eſſe, cùm non eſſet, putatum eſt, in re ſimili fas iterum eſſe cenſebitur: cui rei non minus ineſſe cauſſæ videbitur, quàm primæ, quæ prolapſioni occaſionem dedit. Catholicis pleriſque rationes nonnullæ ſuaſerunt, licere ipſis Hæretico ſeſe coniungere, eíque conſtituendo operam ſuam ſtudiúmque nauare: nec illos ab hac mente deduxit, templorum aſpectus, altarium, ac monumentorũ, quæ parentum oſſa concludunt: quorum plerique in iis prælijs occubuerant, quæ fuerant in hæreſis perniciem peſtémque ſuſcepta, cuius ipſi patrocinium cauſsámque complexi ſunt. Quanto iuſtius illius illecebras vímque timeamus, ſi in Regni ſedere ſolio, nobíſque liberè dominari contingat? cùm hoc quiſque bello fractus, ac exhauſtus omnino, quod ſibi tam aduerſum, támque calamitoſum fuiſſe recordetur, quicquid ille iubeat, quicquid moliatur, ferre malit ac perpeti, vt tranquillam tantùm ac ſecuram vitam ſinatur agere, cum aliqua interim expectatione præmiorum, ſi illius iuſsis obſequatur; quàm eiuſdem etſi iniquæ, voluntati, cum tot tantíſque periculis repugnare. Verum, vt ita ſit, quòd in cineribus, cùm ignem extinxeris, nihil momentò ca-

loris reſideat, vtque armis poſitis, noſtra pariter odia prorſus intereant: non ideo tamen ab aliis erimus perturbationibus liberi, quæ nos eò ſæpius ad lapſum impellēt, quò crebrius tùm propiúſque noſtris ceruicibus periculū impendebit; & velimus nolimus hæreticorum erimus cupiditatibus, motibúſque obnoxij, qui quoties ſe dabit occaſio, ſuæ cōſcio ſuperſtitionis Rege animoſi, id proculdubio vi aſtúque perficient, quod eos velle iampridem perſpeximus. Quod nec iā Catholicis eſſet obſcurum, ſi nunc quoque eas actiones attentius penitiúſque inſpicerent, quæ ex eorum proficiſcuntur conſiliis. Etenim quæ vrbes arcéſque expugnantur, hæreticorum traduntur poteſtati: aut eorum, quos hæretico ſemper fauiſſe notatum eſt. Qui in eis commorantur Catholici, accuſantur quotidie, ac fictorum criminum rei peraguntur: cùm eis, qui ſine crimine ſunt, maieſtatis crimen impingitur: præcipuis iam hæretici honeſtantur muneribus: Coronæ etiam his honores deferuntur. Sanctorum Pontificum, Gregorij XIIII. ac Clementis VIII. Bullæ, quibus illorum ad Catholicos paterna monita ferebantur, vt eos ab hæreticorum ſocietate diſiungerent, reiectæ ſunt, pedibúſque conculcatæ: idque per eos Magiſtratus, qui Catholicorum ſibi nomen vſurpant, cùm nihil mi-

nus ſint, quàm re factiſque Catholici. Etenim ſi eſſent, non eorum, qui Catholici iure cenſentur, ſimplicitati illuderent: dum quædam proponunt exempla, ab iis petita rebus, quæ olim in hoc Regno acciderunt, cùm Eccleſiæ Gallicanæ priuilegia & immunitates tentarentur, longè ſcilicet his quæ nunc geruntur rebus diſsimilia: quòd Regnum, ex quo Chriſti leges accepit, nũquam in eas ſit redactum anguſtias, vt regem pateretur hæreticum: aut Principem eſſe audiret aliquem, qui hac labe infectus, ius ſibi aliquod ad regnum vendicaret. Enimuerò ſi aliquid ius in hac Bulla difficultatis occurreret, ratione, precéque agerent, cùm eſſent Catholici, cum ea, quæ ſanctæ Sedi debetur, reuerẽtia modeſtiâque: non contemptu, blaſphemiis, ac impietate, quod egerunt. Sed nimirum id certo egerunt nefarióque conſilio: vt cæteris, quos ſe norant meliores eſſe Catholicos, in deſpiciẽdo Eccleſiæ capite exemplo præirent: quò minimo eos deinde negotio, ab ea ſegregarent. Verumtamen ſunt quædam in malo progreſsiones, ab eo ducuntur rudimenta, quod minimum eſſe cenſetur, aut non eſſe omnino; die inſequẽti aliud maius adiungitur; donec ad cumulum menſura augeatur. & hæc ſunt quæ inflammatam in miſerum hoc & afflictum Regnum Dei vindi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cis iram, oſtendunt: quæ etiam grauiores adhuc de noſtris criminibus pœnas expoſcit: quandoquidem, tot illorum ad Regni perniciẽ ſpectãtes actiones, tot noſtræ totiéſque iteratæ teſtificationes, ſed his præſertim elapſis diebus: Nobis ſummi Pontificis ac ſanctæ Sedis certum eſſe parere voluntati, quicquid ille de Regis Nauarræ conuerſione ſtatuiſſet, ſi quidem ille Deo adſpirante errorem deponeret: quæ innocentiæ noſtræ & ſinceritati, & armorum quæ gerimus æquitati, imò neceſſitati, eſſe deberent argumento: nihil tamen hæc illos cõmouerunt: ſed nihilominus rumores vbique ſparguntur, quòd, coniuncti pro tuenda religione Principes ſolam ſtatus diſſipationem, atque perniciem meditentur. Etſi ipſorum agendi rationes, & conſiliorum de omnium ſententia factæ communicationes, ſupremorũ etiam qui à noſtris ſtant partibus Principum, ſatis videntur habere momẽti, vt omnem iis calumniæ facultatem eripiant, quibus voluntas non deeſſet calumniandi. Vrgent hæretici de Catholici Regis ſuppetiis, quas nempe vident ægerrime: nóſque cenſerent Frãcos eſſe meliores, ſi iis carere vellemus: aut, vt ſimplicius quod volunt eloquamur, nos crederẽt victu faciliores, ſi nudi ac inermes eſſemus. Quibus, nos id tantùm habemus reſpondere:

afflictæ in hoc Regno Religioni, ac in ſummum diſcrimen adductæ, his opus fuiſſe auxiliis: propereáque officij eſſe noſtri profitemur, ac præ nobis ferimus, & prædicare beneficium iſtud, & memoria colere ſempiterna: cúmque potentiſsimi Regis illius, Coronæ etiam huius ſocij atque fœderati, opem implorauimus, nihil illum quicquam à nobis poſtulaſſe confirmamus, nec nos quoque fœdus vllum aut pactum cum quoquam in Regno, aut foris iniÿſſe, quod ad minuendam Status amplitudinem atque dignitatem vllo modo pertineret, pro cuius conſeruatione, in omnia nos periculorum genera vltro demus præcipites, non tamen, vt hæreticū Regno potiri patiamur, quod nos malum, vt cæterorum omnium ſupremum, iure deteſtamur.
Quòd ſi Catholici, qui fauent hæreticis, hanc vellent perturbationem exuere: ſéque non dico nobis, ſed Religionis cauſſæ adiungere, & nobiſcum pariter conſilia remediáque inquirere, quæ ad retinendam Religionem, & tuendam Status ſalutem eſſent opportuna, vtriuſque ſine dubio conſeruationem, in eiuſmodi conſenſione, haberemus; &, qui peruerſis conſilijs, in Regni detrimentum vellet abuti, & Sanctæ iſtius cauſſæ vti patrocinio, vt quodam ad dignitatem ac autori-

tatem obtinendam illuſtri titulo, non id poſſet, cùm vellet. Quamobrem oramus eos, & per Dei nomen obteſtamur, illius etiam ac eiuſdem Eccleſiæ, in qua pariter, ídque quotidie, victuros nos, atque morituros profitemur: vt ab hæreticis diſcedant, & illud etiam etiámque cogitent, quandiu ab inuicem manemus diſiuncti, non poſſe nos vllum experiri remedium, quod non periculi ſit plenum & aleæ, quódque non incommodi plurimùm, & toti Regno, & priuato cuique ſit allaturum, priuſquam ſalutis aliquid poßit afferre. Noſtram contrà reconciliationem, & cuncta expedita reddituram, & noſtras breui miſerias terminaturam. Ac ne forte ſit aliquid, quòd Principes, qui de Regio ſunt ſtemmate, quíque non ſunt, Coronæ etiam Magiſtratus, à tam pio vtilíque opere poßit auertere, qui fortè crederent, à nobis, Principibus reliquis, aliiſque noſtrarum partium illuſtribus viris, non eum ipſis honorem tribuendum, eámque habendam reuerentiam, quæ pro meritorum, ordinis etiam atque dignitatis ratione, debeatur: ab hæreticis modò diſceſſerint, nos id eſſe facturos, ceteróſque omnes, qui in noſtris cenſentur partibus, eundem eis honorem habituros, fidem noſtram ac exiſtimationem obſtringimus. Oramus autem

maiorem

iorem in modum, vt id protinus, & omni procul cunctatione perficiant, difficultatum tot nodos expediant; qui aliter diſſolui non poſſunt, quàm, ſi nihili putent pendántque omnia, vt Deo Eccleſiæque ſeruiant: & niſi ſibi ponant ob oculos, Religionis, quàm omnium, antiquiorem eſſe debere rationem: niſi denique, prudentiam cogitent laudem omnem, ipſúmque adeò nomen amittere, quoties officij huius, quod ſanè primum eſt, obliuionem inducit. Certiores illos facimus, quò maturioribus conſilijs, quoad nos, cuncta gererentur, nos Principes eſſe obteſtatos, Franciæ Pares, Prælatos, Nobiles, ſupremarum Curiarum delegatos, vrbium etiam ac communitatum, quæ à noſtris ſunt partibus, vt 17. inſequentis menſis die, Pariſiis velint adeſſe, conuenire: vt animis omni perturbatione vacuis, nulláque priuatorum cuiuſquam commodorum ratione habita, remedium illud vnà omnes indagemus, quod, ad Religionis ac ſtatus conſeruationem, aptiſſimum in conſcientia, maximéque idoneũ fore cenſebimus. Quô ſi placeat certos deſtinare, qui ipſórum nomine comitijs eiſdem interſint, eáque proferant, quæ ad tantùm boni conſequendum conducant, in tuto illos fore, & attentè, ac cum ſummo eis ſatisfaciendi ſtudio audiendos eſſe

pollicemur. Quod ſi preces, quibus ab eis contendimus, vt animos ad hanc reconciliationem adiungant, imminens etiam certúmque de ſtatus clade periculum, ſatis momenti non habeat, ad eos excitandos, vt ſerio tandem de communi ſalute cogitent: nóſque neceſſitas, deſertos ab eis, ad ea præter ſententiam conſilia adigat, quæ erũt extraordinaria; Deum hominéſque teſtamur, cauſſam in eos culpámque conferendam, non in ſacræ vnionis Catholicos; qui omni ſtudio pro virili conati ſunt, vt cum ipſorum gratia, atque charitate, conſilys animíſque coniuncti nobiſcum, quæ illis communis eſt, cauſſam tuerentur. Quod ſi aggredi pari ſtudio & alacritate ſtatuerent, certa nobis de proxima tranquillitate ſpes affulgeret: nec dubitaremus, quin coniuncti in hæreticos veteres ſuos hoſtes Catholici, eos breui delerent de quibus ſemper triumpharunt. Oramus igitur ſupremas huius Regni Curias, vt præſentes publicari curent, ac ſuis monumentis inſcribi: vt omnibus notæ ſint, & memoriæ poſteritatis ſempiternæ conſecrentur, in noſtram ſatisfactionem, Principum, Franciæ Parium, Prælatorum, virorum illuſtrium, Nobilium, vrbium, ac communitatum, qui vnâ omnes ad tuendam Religionem conſpirarunt. In cuius rei fi-

dem, præſentes noſtra manu ſignauimus, & cancellariæ Galliarum ſigillo muniri curauimus. Datum Pariſiis, menſe Decembri, an. 1592. *Signatum,* Carolus à Lotaringia. *Per dominum Ducem.* Balduinus. *Et obſignatæ maiori ſigillo, licijs holoſericis, in cera viridi. Lectæ, publicatæ, & regiſtratæ in regiſtris Curiæ, poſtulante Regis Procuratore Generali, & publicatæ ad ſonum tubæ, publica præconis voce, per vrbis Pariſienſis compita, an.* 1593. *Signatum,* Tilletius.

NOn alia exhortationis illius fuit ſententia, quam Illuſtriſſimus Cardinalis Placentinus Sanctiſſimi Domini noſtri, & ſanctæ Sedis Legatus, vir Pietatis, prudentiæ, ac ſolicitudinis de huius Regni ſalute, ſingulari laude præditus; ad Catholicos habuit, qui Hæretici fauent partibus: vt illos ab eius ſocietate diuelleret, & ad ſanctam, cum cæteris Catholicis, vnionẽ aggregaret: pro tuenda Religione, Regníque ſalute, ſub Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ obedientia, necnon Regis illius, qui vt nomine, ſic re eſſet Chriſtianiſſimus: ſuæ Sanctitatis ſuóque nomine eos, ad illum comitiorum cõuentum inuitans, vt quod Religioni patriæ-

que deberent officium, in tanta neceſſitate perſoluerent. Illius autem exhortatio ac declaratio, hæc fuit.

Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Cardinalis Placentini ſanctæ Sedis Apoſt. Legati, Exhortatio.

PHILIPPVS, miſeratione diuina, tituli S. Onuphrij, S. R. E. Presbyter Cardinalis Placētinus nuncupatus, ad Regnū Frāciæ, ſanctiſsimi D. N. Clemētis Papæ VIII, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ de latere Legatus: Omnibus & ſingulis Catholicis, cuiuſcunque dignitatis ac conditionis fuerint, qui in eodem Regno ab Hæretici partibus ſtant, eidem adhærent, ac quouis modo fauent, pax & dilectio, & melioris conſilij ſpiritus, ab eo qui eſt vera pax, veráque ſapientia, ſolus rex, ſolúſque dominator, Domino ac Saluatore noſtro Ieſu Chriſto.

QVOD officij ratio à nobis expoſcit in eo munere fungendo, quod idem Sanctiſsimus Dominus noſter nobis in hoc Regno mandauit, id tantæ nobis curæ eſt, vt nunquam nos pœniteat ſanguinem etiam vitámque profundere, quò rem tantam, támque neceſſariam ad optatum exitum finémque prouehamus. Atque vtinam nobis eſſet integrum, non ſingulas modo Regni Prouincias atque Ciuitates, ſed domos etiā obire ſingulorum, quò hunc animum noſtrū, cuius conſcium teſtémque habemus Deum, omnibus

etiam teſtatum facere, & viua voce, generoſum in veſtris pectoribus ſtudiũ excitare poſſemus, ad reſtituendum, cũ priſca maiorum Religione, Catholica ſcilicet, Apoſtolica & Romana, florentem quondam Regni Franciæ ſtatum, quem hæreticæ ſuperſtitionis furor miſerãdum in modum labefecit, penéque conuulſit. Sed quoniã variæ temporũ rerúmque difficultates ſatis vobis ſupérque perſpectæ, hanc nobis facultatem eſſe non ſinunt, vt coram vobiſcum ágere, & liberè ac familiariter vltrò citróque conferre poßimus, quod ſua Sanctitas vellet quàm maximè, nóſque percuperemus, noſtrarũ duximus eſſe partium, remedium huic incõmodo, quoad eius fieri poſſet, per præſentes afferre. Quas ſi à vobis ea mente exceptas eſſe didicerimus, qua Chriſtianos par eſt atque Catholicos, & animo non minus ab omni perturbatione vacuo, quàm illæ ſunt ab omni artificio fucóque alienæ, certißima nobis & diu multúmque expetita ſpes affulgebit, fore vt vós breui noſtro conſpectu, nóſque veſtro congreſſu potiamur, non iam vt vos ad officij munus præſtandum cohortemur, quin potiùs vt vobis de præſtito, felicitérque expleto gratulemur. Nos verò ita cenſemus, ſi introſpicere in mentes veſtras, & in imos illarũ ſinus ſubire velitis, nihil fore quod admodum

ad afflictæ valetudinis veſtræ redintegrationẽ, aut vocis noſtræ, aut literarũ officiũ, aut quoduis aliud externæ opis ſubſidiũ, deſideretis. Etenim meridiana ſolis luce clariùs ipſi perſpicietis, ab vna ſoláq; hæreſi, vt omniũ ſentina malorũ, illam profectam eſſe caliginẽ, quæ veſtros perſtringit oculos, facítq; vt minus integrè atque ſincerè, cùm de veſtris tùm de aliorum rebus factíſque iudicetis. Retegetis præterea fraudes artéſque, quas varias comminiſcuntur hæretici, vt vos lectiſsimam, veréque genuinam Eccleſiæ matris ſobolem, ab ea pietate, obediẽtiáque abducant, quam ſupremo illius Capiti, Sedíque Apoſtolicæ, ad hoc tempus perpetuam illibatámque præſtitiſtis. Cuius nomen ac auctoritatem apud vos, qua poſſunt ratione, traducunt, & in odium ac contemptionem adducunt, quòd ex ea re ſatis intelligant, vi quadam ac neceſsitate, vt Catholicæ fidei cladem perniciémque importari, ita ſuam pariter perfidiã ac ſuperſtitionem conſtitui, cui tamẽ nullus vſquam gentiũ locus relinquatur, vbi ſuus B. Petri ſolio honos ſartus tectúſque ſeruetur. Enimuerò, vt ex multis illorum commentis, ea tãtùm in præſens proferamus, quæ cum inſtituto noſtro magis cõiuncta ſunt, ecquid illud habet argumenti, Eccleſiæ Catholicæ ſummum Pontifi-

cem, ad Chriſtianiſsimi Regni diſsipationẽ, vel auxilium vel conſenſum præbere voluiſſe? quid ex ea re emolumenti ſperare potuiſſet? quid non timere debuiſſet incommodi? At illa eſt nõ poſtrema calumnia, qua exoſam vobis reddere ſategerunt, eorũ qui nuper interierũt ſummorũ Pontificum memoriam, qui tamen nec latum vnguem à maiorum veſtigiis deflexerunt, quorum paternum in hoc regnum animũ, vos modò ferebatis in cœlum, cùm ampliſsimis, quæ in Sedem Apoſtolicam à Regum Chriſtianiſsimorum pietate, munificẽtia, fortitudine, olim profecta ſunt, meritis, gratis ipſi animis, paribúſq; officiis, pro virili reſponderent. Et ne altiùs annalium replicemus memoriam, meminiſtis quo applauſu, gratíque animi teſtificatione, ſuppetias illas excepiſtis, quas ampliſsimas, in hæreticos, Carolo Regi veſtro, Max. Opt. que Pontifex Pius V. tranſmiſit. Videte igitur vt non ſatis vobis ipſi conſtetis, ſi quod in illo vehementer laudaſtis, in eius ſucceſſoribus idem accuſetis. Hæreſis vbique eſt hæreſis, vbique peſtifera, vbique exitialis, vbique deteſtanda. Hoc illud eſt monſtrũ ſtygium, quod Chriſti Vicarij, ac B. Petri ſucceſſores perpetuo ac capitali odio inſectantur, non Regna Regéſque Catholicos, quorum ſe paſtores adeóque parentes profiten-

tur. Hoc contra nullo perſonæ aut dignitatis diſcrimine, ſupremæ poteſtatis gladium diſtringunt, quem à Chriſto Domino in manus traditũ acceperunt, quo exeſa ſcabie emortuáque membra, de Eccleſiæ corpore reſecarent, ne cæteris eandem ſua contagione luem peſtémque inferrent. Quò tamen non niſi poſt longam cunctationis moram ſeſe conuertunt, cùm ſeueri iudicis partes, paternæ pietatis officiũ diu multúmq; præuerterit: Vt eos tantùm iudiciorum inuoluat ſeueritas, quos obfirmatos atque peruicaces, non lenior patris admonitio obiurgatióque emẽdarit. Quòd ſi cæteras quoque orbis Chriſtiani regiones mentis oculis peragrare, aut in ipſis potiùs inſiſtentes Regni finibus, Vt in illud affecti fuerint ſummi Pontifices, cum animo Veſtro reputare Volueritis, reperietis profectò, ex quo hæreſeos peſtifera cœpit per illud flamma graſſari, qua ſenſim in dies conſumitur, neminem Vnquam illorum quicquam à ſe paſſum deſiderari, quod ad illam reſtinguendam Valere, & illorum aut muneris aut facultatis eſſe Videretur. Mirifica inter ipſos Regéſque Veſtros Voluntatum conſpiratio, opportuna crebráque pecuniarum atque copiarum ſubſidia, Legatorum ad illos Regnúmque frequens miſſio, annon perpetuum illorum ardénſque ſtudium, ad tuendam Regni,

Regni ſalutem atque dignitatem promptũ ſemper ac paratum abunde teſtantur? Quas ob res nec vos Pontificum geſta atque conſilia, vel in inuidiam adducere, vel perperam interpretari ſolebatis, quandiu, vt Francos decet atque Catholicos, hæreticis legem dicere maluiſtis, quàm ab eis accipere. Laudabatis illa vehementer, vt par erat, donec poſtremis hiſce tẽpeſtatibus diſſidentes animis atque conniuentes, ſerpere hæreſin, & in arcem inuadere permiſiſtis, vt non iam, quod hactenus, impuri homines enixè rogent, ſibi vt liceat impunè peccaſſe, ſed vt in eos etiam vindicare audeant cum omni pœnarũ acerbitate, qui ſalutis ſuæ amantes præ cæteris, ac tenaces Religionis, crudele iugum hæreſeos ſubire detrectent. Prodigioſas atque miſerandas rerum vices! quæ vos docuerunt id vitio vertere, quod in ſummæ virtutis habebatis loco; contráque id ſcelus inſignire diademate, quod vos potiùs, vt olim, deceat igni flammíſque addicere. En quò pertinet lethale virus hæreſeos; ex cuius etiam contagione profecta ſunt tot abſurda tótque pugnantia, quæ in veſtris crebro verſari ac laudari ſermonibus, nemo veſtrûm, qui manum pectori tantùm admouerit, ibit inficias. Etenim palàm profiteri, quòd Eccleſiæ Gallicanæ priuilegia & immunitates eò pertineant, vt

hæreticus, & in hæreſim lapſus iterum, & ab Eccleſiæ exciſus corpore, pro Rege haberi poſſit, ac debeat, phrenetici eſt ac inſani hominis inane ſomnium, non aliunde, quàm ab hæreticæ peſtis contagione generatum. Ex quo ac eodem fonte & illos credimus manaſſe rumores, qui ſiniſtri atque ementiti de ſummorum Pontificum conſilijs geſtiſque longè à vobis diffuſi ſunt, latéque diſsipati. Atqui verò, vt de piæ memoriæ Sixti Papæ V. conſilijs primùm videamus, quæ in ſuis de illuſtriſſimi Cardinalis Caëtani Legatione literis apertè declarauit, ſi quis in eis calumniæ locus eſſe poſſit, exquiramus. Miſſus eſt ab eo Pōtifice, & ab Apoſtolica ſede Cardinalis Caetanus tanquā pacis angelus, nō præco bellorū, non vt priſcis moribus legibúſque antiquatis, nouas pro illis reponeret, ſed vt veram auitámque Religionem ſua pietate conſilióque ſtabiliret; vt ad Dei gloriam regníque incolumitatem omnium animis ſenſibúſque coniunctis, legitimi Catholicíque Principis imperio pareretis. Quæ cōſilia tā pia, támque ſalutaria, vt optatum exitum finémque ſortirentur, Sixtus Pontifex, eiúſque Legatus Caëtanus vel vobis iudicibus incubuerunt, ſi minùs, cum ea ſeueritate quam aliqui deſideraſſent, at cum ea caritate atque clementia quam ab amantiſſimo ſui parente ſua-

uißimi liberi potuiſſent expetere. Is enim Legatus ſapientißimus vixdũ Regni fines ingreſſus, eueſtigiò tamen negotium, quod gerebat, aggreſſus, cum eis primum agere cœpit, quos in obeundo Legationis munere tantò ampliùs ſibi credidit opis allaturos, quantò amplioribus ad id præſidiis videbat inſtructos, pluribúſque, vt id facerent, nominibus ſciebat obſtrictos: ad quos cùm adire per ſe tutò ipſe non poſſet, quo præſertim tùm erant loco, quod reliquum fuit, quoſdã ad illos legauit Antiſtites, qui de omnibus, quæ quidem ad ſuæ prouinciam Legationis pertinerent, ſigillatim cum ipſis familiaritérque tractarent. Hi igitur teſtes fuerint locupletes, nec ij modò, ſed Archiepiſcopi etiam, Epiſcopi, Prælati, Principes, viri proceres, nobiles, cæterique omnes, cum quibus egit ipſe aliquandò, aut per alios, ad quóſve ſcripſit, ſi quandò illum meminerint Legationis ſuæ præteriiſſe terminos, & non ſemper cùm ſuo, tùm ipſius imprimis Sixti nomine profeſſum eſſe, ſe nihil quicquam aliud habere in votis, nihil moliri aliud, quàm vt fidem propugnaret Catholicam, & hanc illi incolumem Coronam conſeruaret, qui demortuo Regi legitimus in ſceptra, idoneus, Catholicúſque ſuccederet. Quibus in omnibus nihil eſt penitus quod veſtros animos iure offendat. Ille

verò cùm vobiſcum expoſtularet, quòd auitæ pietatis, exiſtimationis veſtræ, patriæ periclitantis, veſtræ denique ſalutis obliti, ad illius vos partes adiunxiſſetis, quem nemo veſtrũ ignoraret ab Eccleſiæ pridem ſecretum corpore: quem vos olim hoc eodem nomine, & in publicis nuper Regni comitiis, qui in Chriſtianiſsimi Regni ſederet ſolio indignum eſſe ſanxiſſetis: cuius arma non aliũ vnquã hauſiſſent ſanguinem, quàm Catholicorum: qui denique nouo nuper crudelitatis exemplo, omnia infregiſſet diuina humanáque iura, cùm optimum Principem, Cardinalem Borbonium, patruum ſuum, ſub ſacrilega impuri hæreticique hominis cuſtodia mœrore tabeſcentem, extinxit: hæc inquã, cùm vobiſcũ ille expoſtularet, harum cauſſæ querelarum grauès erant in primis atque iuſtiſsimæ, & gratiam vos ijs habere par erat non iraſci, qui de tantis vos támque neceſſariis rebus, admonerent. Quod quàm illi beneuolè vtilitérque facerent, vos deinde experiendo didiciſtis, vt & illud, quantis cladibus afflictam Galliam liberaſſetis, ſi ijs quæ vnà dabantur conſiliis attendentes, ab Hæretico repente diſceſſiſſetis, vt cum cæteris vnà Catholicis opportunas ad pacem rationes iniretis. Sed qui vos caſus ab illis auertit conſiliis, idem irritos con-

greſſus illos effecit, qui deinde inter eundem Legatum ſapientiſsimum, Præſules illius nonnullos, & aliquos ex veſtro numero claros in primis ac illuſtres viros, frequentes interceſſerunt. Quæ dùm ita geruntur in Gallis, Romæ verò Sixtus Pontifex facilem ſe ijs qui res veſtras procurãt audiendis præbet, qui pote ab Hæretici vos ſocietate abducere, Chriſtóque lucrifacere peroptaret: cùm denique, vt breui præcidamus, omnia vobis ex voto contingunt, qui hanc debebatis tantã támque præclarã anſam arripere, & hac vti occaſione, ad depellendum à veſtris patriæq; ceruicibus Hæretici iugum, leuiſsima proſperitatis aura ad ea eſtis conſilia ſpéſque delati, quæ afflictam iam nimis, prò dolor! Galliam, in has rerum anguſtias coniecerunt. Repentinus interea Sixti Pontificis interitus, ac Vrbani, qui Sixto ſucceſſerat, Gregorij XIIII. electioni cùm dediſſet locum, is continuò palam fecit omnibus, quàm arctè cum ſummo ampliſsimóque ſacerdotio, coniuncta ſit ſpecialis quædam ſed ſingularis de veſtra omniũ ſalute & Regni Chriſtianiſsimi incolumitate, ſollicitudo. Apoſtolicũ Breue, quod ad nos ille anni 1591. menſe Ianuario benignè trãſmiſit, quod etiam in veſtras, omniúmque adeò manus peruenit, Bullas, cæteráque Breuia, quæ Martio inſequenti D.

Landrianus eiuſdem Pōtificis Nuncius, ad vos detulit, nemo veſtrûm in aliam partem accipere, neque debuit, neque verò potuit. Is enim Pōtifex, vt erat præſtanti pietate, ac ſingulari prudentiæ laude præditus, ſapientiſſimè iudicauit, quandiu ab Heretici ſtaretis partibus, perexiguam veſtræ incolumitatis ſpem fore, eámque ob rem faciendū vobis eſſe omnino, vt ab Hæretici ſocietate ſubitò longéque recederetis, niſi fortunarum vitæque aleam, quod in dies agitis, ſubire velletis, animarum etiam ac æternæ ſalutis naufragium facere. Grauiſſimis, quas in eam ſententiam afferebat, rationibus, amantiſſimas etiam admonitiones, paternáſque cohortationes adhibebat: quibus quidem aures dare noluiſſe, crimen graue eſt in primis: multò grauius calumniatos eſſe: at verò tam contumelioſè, quàm noſtis, adeòque indignis modis tractaſſe, non illam dico ſenſus expertem membranam, quæ deſcriptam Pōtificis voluntatem gerebat, ſed in ea ſupremi Eccleſiæ Capitis nomen ac auctoritatem, id demùm eiuſmodi eſt, vt in vno crimine, tot nouas ſcelerum formas cōprehendat, quot adulterinum vtrūq; Turonenſium ac Cathalaunenſium conuenticulorum Senatuſconſultū, voces includat. Quæ horrēda ſtupendáque crimina, ij nihilominus ſurda aure

præterierunt, qui eorum potuerunt ſuo optimóque iure pœnas repetere: vt illa etiam, quæ deinde Eccleſiaſtici nonnulli perpetrarunt, qui illi Carnutenſium Cõuentui adfuerunt. Nec alium in vos animum geſſit S. memoriæ Pontifex Innocentius IX. qui in illius, poſtquam è viuis exceſſit, locum ſuffectus eſt, de cuius ſapientiſſimi Paſtoris repẽtino deceſſu triſte deſideriũ, Dei Opt. Max. que leniuit prouidentia, quæ Eccleſiæ ſuæ difficilibus ipſius temporibus deeſſe non ſolet, cùm S. D. N. Clementis VIII. inauguratione, Paſtorem eum nobis prouidit, quem temporum ratio calamitáſque poſtularet: qui pote cum omni virtutis laude ſuperiorum Pontificum nulli concedat, in ea tamen, quam illi perpetuam de huius Regni ſalute ac pace geſſerunt, cura, longè omnes anteuertat. Ille enim ad ſupremum Apoſtolatus faſtigium vt primùm aſcendit, omnium derepente in illum mentes oculíque conuerſi ſunt, vt in ſplendidiſſimam clariſſimi ſolis lampadem, quam terris luminum parens, omníſque Deus conſolationis oſtendit, qua denſiſſimas ærumnoſi huius ſeculi tenebras diſſiparet. Hîc, cùm certiſſimã quiſque opinionem ſpémque conciperet, neminem fore veſtrûm, qui non ad excipiendos tam optatæ támque ſalutaris lucis radios ſinum mẽ-

tis aperiret, quique nō auſpice ac auctore tanto Pōtifice, ſub Eccleſiæ Cath. ſe ſigna reciperet, en adulterinū aliud emerſiſſe cognoſcimus, maximo cū dolore noſtro Senatuſconſultū, quod hæreſis in Apoſtolicas de noſtra Legatione literas, Cathalauni recēs excluſit: quo nimirū ſpes illas de noſtris mentibus profligare tentatum eſt, quæ omnibus debent eſſe cariſſimæ, quos aliqua modò de Dei laude, ac Regni huius dignitate, cura contingit. Etenim, quicquid illi contrà deblaterent, quos legitimus Pariſiorū Senatus priſcæ retinens æquitatis atque conſtantiæ, grauiſſimè iuſtiſſiméque damnauit, quos nimirum non iuris, ſed Hæretici miniſtros, rigidóſque ſatellites, mores factáque conuincunt: nuſquam Galliam firma pace, aut alia felicitate vtentem videas, quādiu ſub acerbo turpíque Hæretici iugo preſſa, lugebit. Quod vſque adeò verum eſt, vt cùm illud nemo veſtrûm ignoret, nec alios quicquā attineat, niſi veſtras ipſorum conſcientias, teſtes adhibere. Quamquam, quid hac de re ſentiatis, veſtræ quoque loquuntur actiones, cùm non aliam, quòd Heretico pareatis, cauſſam prætēditis, quam quòd, vt ad meliorem ſe frugem recipiat, vtque illum Pontifex vinculis pœníſque expediat, fore ſperetis. Summam quidē nos animo voluptatem capimus, cùm intelligimus, ſi

relapſum

relapſum & obfirmatum hæreticum, Regni Chriſtianiſſimi Regem quis profiteatur, id à vobis tam nefarium ac flagitioſum ſcelus iudicari, vt nemo veſtrûm illius ſe conſcium velit reúmque confiteri. Quoniam igitur obſtinatus ac pertinax illius animus, omni illum, quod ſperare potuiſſet, Regni iure ſpoliauit, omnémque pariter vobis eripuit illarum rerũ copiam, quas in illius gratiam, veſtrãq; ſatisfactionem, cauſari potuiſſetis, nũc tempus eſt, id palàm proferatis, quod iampridem in pectore clauſum obtegitis: vbi ſi nihil eſt niſi Catholicum, quod actiones veſtræ ſuperiores teſtatæ ſunt, cùm vos nondum hæreticorum infatuarant præſtigiæ: nunc liberè, per viſcera miſericordiæ Dei vos obteſtamur, cũ omnibus toto Regno Catholicis pronunciate, nihil vobis tam eſſe in animo, quàm vt nobiſcum vnanimes, Chriſtianiſſimo veréque Catholico Regi pareatis. Hoc ſentire prudentiæ eſt, facere fortitudinis, & ſentire verò & facere, perfectæ cumulatæque virtutis. Ad perficiẽdũ autem nulla honeſtior æquiór ve ratio, aut eſſe, aut fingi poteſt, quàm publicorum Regni Comitiorum conuocatio: ad quæ vos excellentiſſimus Dux Meduanus inuitat, qui pro ſui muneris ac auctoritatis ratione, opportuniores magíſque idoneas vias omnes

atque rationes, cum admirabili pietatis, conſtantiæ, magníque animi laude, & ſemper hactenus inueſtigauit, & nunc verò quàm vſquam antea ſtudioſiùs inueſtigat, quibus nobiliſsimum iſtud diadema intáctum integrúmque conſeruet, & Catholicam vnà religionem, verámque Eccleſiæ Gallicanæ libertatem propugnet: quæ libertas in eo præſertim ſita eſt, nequãdo illi hæreticus iugum imponat. Nos verò teſtificamur, vobíſque, ac omnibus palàm profitemur, ſi intra muneris, quod Sua Sanctitas nobis impoſuit, fines manere velimus, vt certè volumus, non poſſe nos, vel Meduani, vel alterius, quiſquis ille ſit, Principis ſuffragari conſiliis, ſi cuius nobis cõſilia fortè conſtaret, à cõmunibus piorũ omniũ verè Catholicorũ ac Francorũ conſiliis abhorrere: nominatim verò ſummi Põtificis, de cuius cõſiliis vos iterũ certiores facimus, non aliò illa collimare, quàm ad Dei laudem ac gloriã, Eccleſiæ, fideíque Catholicæ defenſionẽ, ſchiſmatum denique ac hæreſeon relegationem, quæ in iſtam rerum deſperationem induxerunt beatam quondam ac florentem Galliam, quam Sua Sanctitas vehemẽter ac imprimis deſiderat quo prius loco ſubſiſtere: quod Regis inauguratione fore confidit, qui non titulo tantùm nominéque fuerit, ſed re magis fidéque Chriſtianiſsi-

mus : quem videlicet conſpirans publicorũ Regni comitiorum conſenſus nuncuparit, quémque nec hæreticũ fuiſſe vnquam, nec eſſe poſſe, qui Catholicũ ſapiat, nemo repugnarit. Quamobrẽ ad illa vos comitia ſuæ quoq; Sãctitatis nomine inuitam⁹, vbi ab Hæretici ſocietate cõmercióque prorſus alieni, & animo quidẽ ab omni perturbatione vacuo, ſtudio verò in Deũ patriámque inflammato, quicquid ad reſtinguendũ illud incendium valere iudicabitis, quod illam penè redegit in cineres, id omne in medium prompti alacréſque conferatis. Cauſſarum ac difficultatũ prætexendarum tempus omne præteriit : nullas omnino reperietis, niſi ſi quas ipſi confingetis. Nam de Catholicis, qui ſanctæ & Apoſtolicæ Sedi deuoti perſtiterunt, id vobis habemus polliceri, paratiſſimos fore illos vt vos excipiant, amplectantúrque vt fratres, qui ſinceram vobiſcum gratiam vltrò ſanguine vitáque redimant. Agite igitur, & ab Hæretici ſocietate ſeiuncti, fidem publicam, cæteráque flagitate, quæ vobis eſſe opus videbuntur, vt ire liberè ac redire, dicere ac proferre poſſitis, quæ vobis ad comitiorum finem ſuccurrent opportuna. Fidem publicam illuſtriſſimus Dux idem Meduanus ſe paratum oſtendit annuere : quam cõtra, nihil à quoquam vi dolóve iri tẽtatum,

noſtrã quoque fidem obſtringimus: in quam denique fidem noſtram, ſi quid ad rem pertinere cenſetis, hoc eſt ſuæ Sanctitatis & Apoſtolicæ Sedis fidem, vos recipiemus. Rogamus igitur vos maiorem in modũ, & ſuæ Sanctitatis verbis hortamur, iterúmque conteſtamur, vt nunc tandẽ vos re factíſque probetis eſſe Catholicos, veſtra conſilia Pontificis iungatis conſiliis, & quod Eccleſiæ, quod Religioni, quod patriæ debetis officium, omni procul cunctatióne reddatis, cùm præſertim difficili ac extremo tempore à vobis repoſci videatis. Nihil eſt quod ex inteſtinis ciuilibúſque diſcordiis, niſi calamitatem perniciémque expectetis: vt verò ex animi ſentẽtia vobis cuncta ſuccedãt, quod ne vos quidẽ noſtra opinione hæretico duce ſperetis, anxios tamẽ timor ille habere debeat, multũque ſollicitos, ſi quis modò pietatis ſenſus in vobis reſidet, ne ſchiſmata vergant in hæreſin, quibus omnis Regni ora regióque nũc ſcateat. Quod Deus immenſa ſua pietate clemẽtiáque auertat, magíſque priſcæ fidei & caritatis lumina veſtris mentibus præferat, & ad accipiendos optimorum cõſiliorũ ſuorũ ſatus, componat. Vt in vna veráq; Sanctæ Cath. Apoſt. & Rom. Eccl. fide ac doctrina, animis ſenſibúſq; cõiurati, ſub eius Regis imperio, qui Chriſtianiſsimus, & dici, & haberi

mereatur, cùm ſecura pace ac trãquillitate multos annos in hac vita vti poſsitis, tùm deniq; ad beatiſsimũ illud atq; ſempiternũ Regnum comimigrare, quod regnũ Deus Omnipotens iis tantùm ab æterno comparauit, qui Catholicæ ac Romanæ Eccl. communionem tenerent mordicus, quam extra ſalus eſſe non poteſt; & ſuæ lucem ac ſplendorem fidei, piis operibus geſtiſq; comprobarent. Valete. Datum Pariſiis, die 15. Ianuarij. 1593.

PHILIP^s. CARD. PLACENT. LEG^s.

Hier. Aguchius.

POST eas declarationes, Comitia Pariſiis haberi cœpta ſunt, creſcente in dies delegatorum numero, miraculo quodam, & præter hominum opinionem, qui in mediis huius Regni naufragiis incẽdiiſque tantum cogi poſſe non crederent Prælatorũ cœtum, Nobilium, optimorum ac ornatiſſimorum virorum, qui poſtea, breuíque in ea vrbe conuenerunt.

Delegati verò vt primùm conſederunt, en tubicen Carnuto veniens, vrbis Gubernatori D. Belino faſciculum reddit, in quo papyrus erat incluſa, cui hæc inſcripta fuit propoſitio.

PROPOSITIO PRINCIPVM

Prælatorum, Coronæ Magiſtratuum, ac præcipuorum Catholicorum, tam eorum qui Regi ſunt à conſiliis, quàm aliorum qui eius Maieſtati adſunt, quæ ad conſtituendam huius Regni tam neceſſariam tranquillitatem, & ad Religionis Catholicæ ac Status conſeruationem, D. Duci Meduano facta eſt, cæteríſque eius familiæ Principibus, Prælatis, viríſque primarijs, aliiſque à quibuſdam ciuitatibus ac cõmunitatibus Delegatis, qui Pariſiis in præſenti cõgregati adſunt.

PRINCIPES, Prælati, Coronæ Magiſtratus, ac illuſtriores Catholici, tam qui Regi à conſiliis ſunt, quàm qui eius Maieſtati adſunt, vbi declarationem quandam viderunt, ſub Ducis Meduani nomine, Pariſiis, menſe Decembri, typis excuſam, & ad tubæ ſonum (vt in ea extrema ſcriptum eſt) huius menſis Ianuarij die 5. promulgatam, quæque in eorum manus 15. eiuſdem menſis primùm peruenit: Recognoſcũt, ac Illuſtriſsimo eidem Duci Meduano concedunt, bellorum in hoc Regno continuationem, quæ Status in eo diſsipationẽ atque perniciem vnà ſecum ac neceſſariò trahit, Religioni quoque cladem minitari: quod rerum vſus

ac experientia ſatis iam ſupérque docuit, cum ſummo Principum dolore, primariorũ Virorum, ac cæterorum Principũ, Dominorum, ac Ordinum Catholicorum, qui Regem agnoſcunt ſibi diuinitus datum, eíque ſeruiunt, ad quod illos officium, naturæ iura obſtringunt. Qua præclara officij conſcientia fulti, Catholicæ imprimis Religionis conſeruationem ſibi finem dixerunt; eóque animoſius armis atque conſiliis in Coronæ defenſionem, ſub eius Maieſtatis obedientia, incubuerunt, quòd exteros populos, amplitudinis huius Monarchiæ, & gloriæ nominiſq; Francorum hoſtes, in hoc Regnum ingreſſos cognouerunt, quod nimis apertum ſit, non aliò eos, quàm ad illud diſsipandum reſpicere: Illius verò diſsipationem, bellum immortale creaturam eſſe: Eiuſmodi denique bellum non alios temporum lapſu habiturum euentus, niſi certam Cleri totius, Nobilitatis, Vrbium, & agrorum perniciem: quod idem Religioni quoque Catholicæ neceſſum eſſet, in hoc Regno, euenire. Quæ cauſſa eſt, cur omnes verè Franci, & Catholicæ religionis verè ſtudioſi, cunctis opibus cõniti debeant, vt primum illud auertant incommodum, à quo alterum diuelli non poteſt, neutrum verò bello continuato prohiberi. Vera autem occurrendi ratio fuerit, ſyncerus eorum in gratiam

reditus, quos Religionis calamitas ita diuiſos, & in mutuam perniciem tenet armatos. Hoc enim iacto fundamento, Catholica refloreret Religio, Templa ſtarent, ſuo Clerus honore gauderet, ac fructibus, Iuſtitia reſtitueretur, Nobilitas vires animóſque pro Regni defenſione pacéque reciperet, ſua vrbes damna repararet, reddito eis commercio, artibúſque repetitis, quibus plebs omnis alitur, quæ artes ferè penitus ſunt extinctæ; quinetiam Vniuerſitates ſtudiáque doctrinæ reuiuiſcerent, quibus Regnum olim ſic floruit, nunc autem iacent ſenſimque occidunt: Culturam agri reciperent, quos pleriſque in locis deſertos aſpicimus, & pro frugibus quas ad hominum vſum proferre ſolebant, ſpinis ac tribulis opertos videmus, qui illorum ſcilicet deformant faciem, ac horridam nobis oſtendunt. Pace denique conſtituta, ſua quiſque ſtudia artéſque repeteret, ſuus Deo cultus rediret, Plebs verò ſecuro potita otio fauſta eis precaretur, qui hoc ei boni procuraſſent: vt contrà, qui prohibuiſſent, diras eis imprecaretur, ſola nimirum, vt id facerent, ambitione permotis. Quas ob res ad id, quod ſcripto illo Dux idem Meduanus, cùm ſuo, tùm aliorum qui ab eius ſtant partibus, quíque Pariſiis conuenerunt, exponit nomine; illum conuentum ad Religionis Catholicæ incolumitatem

lumitatem, Regníque pacem eſſe inſtitutũ: quo ex conuentu; ſi vel loci tãtùm rationem habeas, vbi nec licet, nec verò par eſt, qui illarum non ſit partium quemquam intereſſe, nihil quicquã poteſt exiſtere, quod aliquid ad eum finẽ valeat quem ille oſtendit; cõtra potius quod bellum magis inflammet, omnémque reconciliationis viam ſpémque precidat inter illos, dictoſque Principes, Prælatos, Coronæ Magiſtratus, cæteróſque Catholicos, qui eius Maieſtati præſentes adſunt:. Certi quoque de cæteris Principibus, Viris illuſtribus, Catholicis etiam qui Regem agnoſcunt, ſtatibus, quòd pari in Catholicam Religionem Regníque pacem zelo ſecum vnà conſpirent, vt in fide, obedientíaque Regi, Principíque ſuo naturali debita, ipſi conſentiunt; Omnium nomine, & de ſuæ Maieſtatis permiſſu, eidem Duci hoc ſcripto ſignificare voluerunt, cæteris etiã ſuæ domus Principibus, Prælatis, Viris inſignibus, reliquíſque omnibus Pariſiis conuocatis: ſi in colloquium & remediorum communicatione venire velint, quæ ad ſedandos tumultus bellicos, ad Religionis etiam Catholicæ, Statúſque conſeruationem erunt opportuna; & honeſtos idoneoſque viros eligere, qui in loco inter Pariſios ſanctúmque Dionyſium deligendo cõueniant, eò quoque ſe eſſe miſſuros, qui ſuo no-

mine, dictóque die ſint præſto, vt ea ferant referántque conſilia, quæ poterũt in rem tam præclaram conferri. Quæ confidũt non eſſe defutura, ſinguli modò quam par eſt mẽtem attulerint: quod ipſi de ſe recipiunt, & Deum hominéſque teſtantur, ſi hæc via reiecta fuerit, vt aliæ oblíquæ incantur: (quæ aliò proinde non poſſent, niſi in Religionis ac Status perniciem redundare, & Galliam in extremam omnis miſeriæ ac calamitatis periodum redigere, quam prædæ Hiſpanorum cupiditatíq; exponent, vt de illa triũphet ipſorum inſolentia, quorundam ex eis perturbationibus artibúſque ſubnixa, qui à maiorũ fide gloriáque degeneres, nomen tantùm gerunt Francorum.) Mali culpam, quod inde emerſerit, aliò nec poſſe, nec debere conferri, niſi in eos quos expedita, quam repudiarint, via, cauſam illi dediſſe conuincet; qui pote antiquiora duxerint illa conſilia, quæ priuatæ ipſorum ambitioni, ac eorum qui illam inflammant cupiditati ſeruirent, quàm quæ ad Dei gloriã, & Regni ſalutem, pertinerent. Actum in Regis Cõſilio, quo nominati Principes, ac Viri illuſtres ad hoc conuenerũt, & ſuæ Maieſtatis iuſſu decreuerunt, has in medium conditiones, conſiliáque proferre. Carnuti, 6. Calend. Februarÿ, 1593. Signatum, Revol.

HÆC propoſitio vt maximi erat momenti, ita quoque cùm lecta eſſet & expēſa diligentius, eorum ad quos ſpectabat animos, in ancipites cogitandi curas diſtraxit, ob multas quæ in illam incidebant difficultates. Quandoquidem telum id eſſe putauerunt ſingulari arte coniectum, quo eorum quæ in comitijs agenda eſſent curſum abrumperent, & odium populi in eos omne conferrent, ſi pacis ac reconciliationis conditiones abnuiſſent: vt denique Regi Nauarræ conſtituendo viam munirent, ſi colloquium eis ac congreſſum annuiſſent. Peius etiam de illa faciebat ominari, quod in eius contextu Religionē quaſi Status appendicem eſſe vellent, nihílque, niſi Regis ſui conceſſu, agerent, quem diuinitus ſibi datum aiebant, cuíque ſe naturali iure obſtringi prædicabant: Quòd denique vnius Reuol ſignatum manu id ſcriptum cernerent. Quod adeò in malam partem accipiebatur, vt ne reſponſo quidem dignum cenſerent omnes; ſed Illuſtriſſimus imprimis Legatus, qui vt primùm id ei recitatum eſt, valde peſtiferum, & hæreſi ac impietate refertum pronunciauit; atque vt liquidius hoc

ipſum conſtaret, quódque negotium ad Religionem pertineret, lectiſſimis Theologicæ facultatis viris propoſitionis diſcutiendæ mandauit prouinciam, vtque ſuum de ea iudicium ac cenſuram interponerent, quod egerunt: & re cum vniuerſa Sorbonæ facultate communicata, ſuum iudicium quod typis excuſum eſt publicarunt. vbi plurimis rationibus, exēplis, Scripturæ teſtimoniis, propoſitionem illam abſurdam eſſe notauerunt, hæreticam, ſchiſmaticam, blaſphemiæ & in Eccleſiam rebellionis pleniſſimam: quæ hęretico, relapſo, excommunicato, & ab Eccleſia dãnato, ius aliquod ad Chriſtianiſſimam hanc Coronam datum eſſe diuinitus, obedientiam eidem naturaliter ac iure deberi confirmaret.

Quas ob res, diu multúmque de illa deliberatum eſt: quòd etiam ad Principes ſimul Comitiáque ſcripta fuerat, vt illorũ neceſſariò reſponſum eſſet ſententiáque expectanda: Tandem die Iouis, 25. Februarij, re in Comitiorum deliberationẽ adducta, maturè de ea grauitérque diſceptatum eſt: & ad ſuperiores illas rationes, aliæ quoque grauiſſimæque conſideratio-

nes acceſſerunt, quid toti Regno allatura eſſet detrimenti eiuſmodi colloquiorũ fama: ſimiliũ congreſſionũ euentus, quæ de rebus ad fidem ac Religionem ſpectãtibus eſſent inſtitutæ, totius antiquitatis iudicio, ipſaque adeò experiẽtia peſtiferos ſemper ac pernicioſos extitiſſe. Vinci eos quibuſcum res eſſet, non argumentis conuinci poſſe: atque vt Siſinius Imperatori Theodoſio, *huiuſmodi collationes & colloquia non ſolùm non reconciliare ſchiſmata, ſed contentiones magis accendere; non ſedare ingenia, ſed irritare*, compertum eſt. Altera ex parte non minus periculoſum eſſe conſtabat, nec minus odioſum, communicationem repudiare, quæ ad inueniendas ſedandis tumultibus & Religioni Statuíque ſeruando, idoneas rationes, eſſet expetita, hanc etiam ſuam eſſe mentem aſſerebant, primúmque ac ſummum ſtudium: & hac reiecta via, omnium, quæ accidiſſent, calamitatum cauſam in nos eſſe referendam confirmabant. Iámque ſuſpicionem nonnullis adferebant, quæ in deliberando trahebantur moræ, de quibus etiam Propoſitionis authores triumphabãt, qui eius famam vbíque ſparſiſſent,

ac exempla quocunque miſiſſent, vt opinionem famámque colligerent quod pacis eſſent ac leuandæ plebis ſtudioſi: vt de ſuæ quoq; petitionis repulſa rumores ſparſerant: quam ex ambitioſis quibuſdam, & de priuatis rationibus, profectam conſilijs, iactabant. In conſiderationem etiam adducebatur rerum ſtatus, ac Pariſiorum præſertim, & quàm exigua ſpes eſſet de earum copiarum aduentu, ſine quarum ſubſidio nulla poſſent Comitiorum decreta executioni mandari: adde quod Dux Meduanus ſua Declaratione, quæ ante comitiorum ingreſſum publicata fuerat, & de qua in illa propoſitione fiebat mentio, ad Comitia illos inuitabat: eámque ob rem, cum auditurum ſe illos recepiſſet, ſummo deinde probro vertendum, ſi illos repelli contingeret. Conandum eſſe, vt, ſi fieri poſſet, is ex colloquio fructus caperetur, qui maximus eſſet, quem liceret expectare: vt Catholici nempe ab hæreticorum ſocietate diſcederent, & ad priſtinā nobiſcum conſenſionem redirēt, aut ſi id perfici minus potuiſſet, nota omnibus eorum culpa obſtinatióque redderetur, &, ſi extraordinaria opus eſſet, ad

ſeruandam Religionem, amplecti remedia, id iure factum iri doceretur: Ita communi trium ordinum iudicio concluſum eſt, nec directè nec indirectè cum Rege Nauarræ, aut quoquam hæretico conferendum eſſe, nec de ijs quæ ad illius conſtitutionem, aut prętenſam obedientiam pertinerent, aut denique ad fidei doctrinã: cum Catholicis verò, qui eius adhærent partibus, de ijs rebus poſſe tractari, quæ ad Religionis conſeruationem, Statũ, otiúmque publicum, ipſorum denique ad Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam ac Romanam reditum attinerent: Et hæc vbi Illuſtriſſimi primùm Legati iudicium ſententiamque rogauiſſent: ac in eum finem reſpõſum illorũ propoſitioni quàm leniſſimis fieri poſſet ſuauiſſimisque verbis, ac omni procul acerbitate reddendum: in eo, atque adeò inter conferendũ, poſſe cauſſas exponi, cur hæreticus Rex agnoſci non debeat, nec quicunque aliam religionem profiteatur, quàm Cath. Apoſt. ac Rom. Hæc deliberatio ad Illuſtriſſimum Legatũ per ſelectos in eam rem viros delata, ei probata eſt, grataque habita: cùm exiſtimaret fructum qui ex ea ſperabatur referri poſſe, Catho-

licorum nempe inter ſe recõciliationem, atque in huius deliberationis ſententiam reſponſio ſcripta eſt, ac Carnutum per tubicinem miſſa, his verbis.

RESPONSVM DVCIS MEDVANI, Status ac Coronæ Galliarum locum-tenentis Generalis, Principum, Prælatorum, Virorum illuſtrium, & à Prouincijs delegatorum, qui Pariſijs congregati ſunt, ad propoſitionem à Principibus factam, Prælatis, Coronæ Magiſtratibus, Viris inſignibus, Nobilibus, cæteriſque Catholicis, qui Regis Nauarræ partes ſequuntur.

LITERAS *veſtro nomine ad nos ſcriptas, & per tubicinem miſſas, paucis ante diebus vidimus; à vobis profectas cupimus, & ab eo zelo ſtudióque, quod olim, & ante has poſtremas miſerias, ad tuendam religionẽ, obedientiã quoque ac reuerentiam, quæ Eccleſiæ, ſummo Pontifici, ſanctæque Sedi debetur, præſtandũ, oſtẽdiſtis. Summa breui inter nos eſſet ſtudiorum ac ſententiarum conſenſio, in hæreticorum perniciem coniuratos, nec aliis iam armis egeremus, ad noua illa, quæ in noſtra ab illis erecta ſunt, altaria confringenda, & ad impediendam hæ-*

reſis

reſis dominationem: quæ quod impunè caput extulerit, immò præmiis tùm ac mercede affecta ſit, cũ par eſſet pœnis omnibus ſupplicijſque addici, nunc, non id tantùm, vt probetur ac recipiatur, contendit, verumetiam eſſe cupit ſuperior, & ſub hæretici Principis authoritate, imperioſè dominari.

Etſi verò nullius in eis nomen ſpeciatim expreſſum eſt, nec illorum eis quiſquam quorum nomen gereret ſubſcripſit, eámque ob rem incerti ſimus à quo profectæ ſint, aut potius nimis certi aliorum motu conſilióque eſſe perſcriptas: & Catholici eo nunc, quo eſtis loco, libertate careant, quæ opus eſſet ad ſentiendum deliberandum, atque decernendum, adhibita in conſiliũ propria conſcientia, quod à Catholicis noſtra calamitas poſtulat, ſalúſque communis: non ideo tamen reſponſum tandiu diſtuliſſemus, niſi dum plurimis trium ordinum viris lectiſſimis cœtus augeretur, qui vt ei adeſſent iam iter erant ingreſſi, viſum eſſet expectare. quorũ pleriq; cùm nunc adſint, ne longius noſtrum ſilentium quis poſſit incuſare hodierno die reſpondemus, non longiore, ob eorum qui venturi ſunt expectationem vſi procraſtinatione. Atque illud imprimis declaramus, Deo nos iureiurando pollicitos, vbi ſanctiſſimo eius corpori communicauimus, &

ſanctæ Sedis benedictionem, de Illuſtriſſimi Legati manu accepimus; hunc fore noſtrorum conſiliorum ſcopum, noſtrarũ hoc initium, progreſſum, ac finem actionum, vt Catholicam, Apoſtolicam ac Romanam Religionem tueamur, ac ſtabiliamus; in qua viuere ac mori conſtitutum habemus, cùm magiſtra veritate, quæ fallere non poteſt, didicerimus; qui præ cæteris Dei Regnum ac honorem quæſierit, huic terrenas quoque commoditates affuturas, inter quas, poſt Religionẽ Catholicam, nos Status incolumitatem, ac in integrum conſeruationem primo loco ſtatuimus: cæteras autem ad eius ruinam ac diſſipationem vias, prudentia tantùm humana ſubnixas, impietatem redolere, iniuſtas eſſe, & ab officio alienas, eáque profeſſione, qua nos dicimus eſſe Catholicos, nullam denique boni proſperíque euentus ſpem afferre cenſemus. Caſibus autem atque periculis expediti, quæ optimus quiſque, ob ea quæ hæreſis proferre ſolet mala, prouidet, atque pertimeſcit, nullum negligemus conſilium, quod ad leuandas, aut etiam finiendas communes miſerias valere poſſit. Nouimus enim, ac ſatis ſuper que ſentimus, calamitates, quas bellum ciuile producit: nec cuiuſquam, qui vulnera nobis noſtra demonſtrat, ope indigemus; qui autem ſint eorum autores, Deo iudicium hominibúſque

relinquemus. Id dicere ſat nobis fuerit, ex Eccleſiæ nos præceptis hauſiſſe, conſcientias noſtras quietas ac ſecuras eſſe, aut aliquo bono potiri non poſſe, dum in Religionis amittendæ metu ac opinione verſari continget, cuius periculum nec diſsimulari, nec verò euitari poteſt, ſi qua cœptum eſt via inſiſtatur. Quam ob rem, nos quoque vobiſcũ ſentimus, perneceſſariam eſſe recõciliationem noſtram; hanc etiam ex animo totóque pectore deſideramus. Hanc charitate verè Chriſtiana beneuolentiáque petimus, atque, vt eam nobis concedatis, oramus vos, ac per Dei nomẽ obteſtamur, calumnijs ijs atque maledictis, quæ hæretici in nos conijciũt, ne inſiſtite. Quoad ambitionem, quam noſtrorum armorum cauſam eſſe diſſeminant, in vobis ſitum eſt nos intus inſpicere, & Religio pretextui nobis, an cauſſæ ſit, retegere. Longum hæreticis, quos ſequimini pariter ac deteſtamini, valedicite: Si manus in cælum tollimus, vt Deo gratiarum vota ſoluamus, ſi ad vtile quoduis conſilium amplectendum parati ſumus, ad vos amandos, colendos, reuerentiam obedientiámque, cui debebitur, exhibendam; nos viros bonos prædicate, quibus mens animúſque fuerit ad omnia pro tuenda Religione deſpicienda pericula, nec integritas moderatióque defuerit, ad omnia quæ

ab exiſtimatione officióque aliena eſſent, repellenda. Si contrà euenerit, diſsimulationem noſtram incuſato, nóſque vt ſceleratos damnato: Ita cœlum terrámque in nos armabitis, nobíſque vt haſtæ quaſi victis cadant è manibus facietis, aut ita fractos nos debiléſque relinquetis, vt victoria de nobis ſine alea vobis, ac laude, futura ſit. Malum interea quod in hæreſi eſt, vobíſque notum eſt, accuſate. Hanc potius luem reformidate, quæ nos depaſcitur ſerpítque in dies longius, quàm inanem illam fictámque ambitionem, quæ, vel omnino non eſt, aut ſola opibúſque deſtituta relinquetur, cùm laruam Religionis exuerit. Illa etiam vana eſt ac ſine ratione calumnia, cùm nos quòd externis aditum in Regnum præbeamus accuſant: Diſsimulanda eſt Religionis, honoris, vitæ, ac fortunarum, iactura, aut hæreticorum vi vis repellenda, quibus nihil noſtra clade ac ruina iucundius poteſt accidere. Nobis incumbit neceſsitas ijs vtendi, quandoquidem veſtra in nos arma conuertitis. Suppetias nobis ſummi Pontifices, ac Sedes ſancta miſerunt. Et licet poſt commotos tumultus iſtos ad hunc multi ſupremum honorem euecti ſunt, ne vnius quidem alienus à nobis animus fuit: quod iuſtam eſſe hanc cauſſam erit argumento. Rex Catholicus, huius Coronæ ſocius ac conſœ-

deratus, ſolus hoc tempore ad tuendam Religionem idoneus ac potens, ſuis nos etiam opibus copiiſque adiuuit, non alio tamen præmio ac mercede, niſi eius laudis ac gloriæ quàm ex præclaro iſto facinore iure ille collegit. Reges noſtri in paribus anguſtijs, ac in eoſdem rebelles hæreticos, ad illorum opem confugerant. Nos eorum tãtùm exemplis inſtitimus: nullo cum eis vt nec illi, quod in ſtatus detrimentum cederet, percuſſo fœdere, etſi nobis maior quàm eis neceſſitatis moles incubuit. Quin potius ponite vobis ob oculos, quod Angli qui vobis ad conſtituendam hæreſim auxilio ſunt, antiqui ac capitales Regni hoſtes exiſtũt, etiamnum vſurpationis illius nomen gerunt, ac infinitorum propè Catholicorum innocuo ſanguine tinctas manus oſtendunt, qui vt Catholici Deo ac eius Eccleſiæ ſeruirent, ſumma conſtantia mortem, ac Reginæ ſuæ crudelitatem perpeſſi ſunt. Deſinite etiam nos Maieſtatis reos putare quòd hæretico Principi obedire nolimus, quem vos dicitis Regem noſtrum eſſe naturalem: & cauete, ne, dum oculos in terram deprimitis, vt in ea humana iura videatis, earum vobis legum memoria excidat, quæ è cœlo deſcẽdunt. Nos naturæ gẽtiúmque iura Regib. noſtris parere non docent; Dei leges, Eccleſiæ illius, Regni denique, hoc docent, quæ non ſanguinis

modò proximitatem, in qua vim facitis, ſed Catholicæ quoque religionis profeſſionem in eo principe requirunt, cui nos parere debeamus. Atque hæc poſtrema conditio ei legi nomen fecit, quam principem ac fundamentalem Regni legem appellamus, à maioribus noſtris ſine omni exceptione ſeruatã. Etſi altera, quæ ſanguinis propinquitatem attendit, aliquando mutari contigerit, cùm regnũ nihilominus maneret integrum, priſtinámque dignitatem retineret. Nunc igitur, vt ad illam veniamus tam ſanctam, tamque neceſſariã reconciliationem, colloquium, quod poſtulaſtis, acciuimus, modò inter Catholicos tantũ habeatur, & de rebus ad tuendam Religionem, ſtatumque ſpectantibus conferatur. Et quoniam inter Pariſios, Sanctumque Dionyſium, vt haberetur, vos cupere oſtendiſtis, montis Martyrũ, aut S. Mauri, aut denique Reginæ quæ apud Chaliotum eſt domus, trium vobis locorum domus optionem, eóque vos, vt veſtros delegatos intra menſis finem, quo viſum erit die mittatis, oramus. De qua re nos vbi certiores feceritis, noſtros pariter adeſſe curabimus, & ſincerum eò, omníque vacuum perturbatione, animum afferemus. Nec pias ad Deum preces omittemus, vt eum nobis colloquij ac congreſſus exitum finémque concedat, qui Religioni Statuíque

incolumitatem afferat, nobis ſecurum ocium pacémque diuturnam. Quibus votis & illud adijcimus, vos vti conſeruet incolumes, veſtriſque mentibus ſui ſpiritus lumen præferat, ad ea perſpicienda amplectendáque conſilia, quæ in veſtram noſtrámque rem plus vtilitatis ac ſalutis erunt allatura. Datum Pariſiis in Comitiorum conſeſſu.4.Non.Mart. 1593. Signatũ,

MARTEAV. DE PILES.

CORDIER. THIELEMENT.

RESPONSVM CATHOLICOrum, qui ſunt à partibus Regis Nauarræ.

POST *miſſam datámque Pariſiis Propoſitionem illam, ſtudium quo tenētur qui ab iſtis ſunt partibus, vt exitum illa, quem ſpectat, ſortiatur, ſuam Maieſtatem aliquot adhuc dies in hac Carnutenſi ciuitate detinuit, vt ſi quid ad eā reſponſi fieret vnà expectarent. Sed elapſis octo diebus, nullóque interim allato nuncio, res, Ducíſque Meduani ſignificationes, quòd aliquid externis copiis moliri tentaret, ad quas ſe in hunc finem contuliſſet, occaſionem ſuæ Maieſtati præbuerunt, dictis Principibus, ceteríſque Viris illuſtribus, vt abirent, & in varia ſe*

loca conferrent, quò eos negocia bellíque opportunitates vocabant : adeò vt, cùm reſponſum Carnutum allatum eſt, quod octauo huius menſis die accidit, pauci tantùm ex dictis Principibus, cæteriſque viris illuſtribus adeſſent, qui necdum conuenire potuerunt, vt de congreſſus perſonis, rationibus, lociſque ſtatuerent. Verũtamen qui ex illis aderant, cùm eos, quos oportuit, de accepto reſponſo, monuiſſent, placuit vt Mantis iterum conuentus habeatur, vbi paucis poſt diebus idoneus virorũ affuturus eſt numerus, qui hanc in rem incũbant. Et ne mora, quæ ante admonitum hac de re Pariſiorum conuentũ longior interceſſit, aliud, quàm quod fuit, ſubſubfuiſſe putetur argumenti, Principes, Viríque illuſtres, qui Carnuti etiam nunc præſentes adſunt, id Pariſiorum cõuentui hoc ſcripto, de ſuæ iterum Maieſtatis cõſenſione, ſignificatũ voluerunt, vt etiam intra 15. menſis conſequentis diẽ ea diſtinctiùs iri declaratum, quæ ad inſtituendum illud colloquium atque promouendum ex nobis pendẽt, tum in ijs quæ ad ſecuritatem pertinent, tùm quæ aliàs fortè occurrent. Interea verò, ſi ijs, qui conuentui adſunt, Viris inſignibus videretur, dictos Principes, cæteróſque viros illuſtres certiores facere, de eorum nominibus, conditione, ac numero, quos placeret in

eum

eum finem delegare, id plurimùm ad promouendum congreſſum illum conferret. Quem Deus ſua viciſſim gratia atque pietate, in ſolam dirigat Religionis Catholicæ Statúſque conſeruationem. Quod imprimis ſemper ſpectarunt, ſempérque ſpectabunt Principes, ac cæteri Catholici, qui ſuam Maieſtatem agnoſcunt. Actũ in eiuſdem Conſilio Carnuti habito, vbi dicti Principes, ac illuſtres Viri in eum finem ipſius vt dictum eſt, conceſſu conuenerunt: 29 *Martij*, 1593. Signatum, REVOL.

In inſcriptione verò ita habetur: *Ad D. Ducem Meduanum, & cæteros ipſius familiæ Principes Viros illuſtres, cæteróſque Pariſiis congregatos.* Et obſignatum ſigillo armorũ Illuſtriſſimi Cardinalis Borbonij.

RESPONSVM AD SVPERIores Litteras.

POSTVLATIS (*Viri illuſtres*) *per eas, quas* 29. *precedentis menſis ad nos dediſtis, literas, vt congreſſus in* 15. *huius menſis reijciatur, cuius nos maluiſſemus tẽpus anteuerti, adeò ad publicam Catholicorum vtilitatem neceſſarium iudicamus. Sed quoniam aliter eſſe non poteſt, veſtram commoditatem expectabimus, il-*

lúdque tempus, quod elegiſtis, modò ne res lõgius differatur, quod vos etiam etiámque obteſtamur, Viros duodecim legaturi ſumus, virtute atque dignitate cláros, ſingulari integritate rerúmque vſu præditos, & Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Religionis ſtabiliendæ, pacíſque in Regno conſtituendæ ſtudio inflammatos. Locum habendo congreſſui opportunum inter hanc vrbem, ſanctúmque Dionyſium delegiſtis, quem nos gratum habuimus, vt nunc quoque habemus: ſiue ille ſit eorum aliquis, quorum ſuperioribus noſtris literis vobis optionem dederamus, ſiue alius, quemcunque gratum habebitis. Quoad ſecuritatis fideíque publicæ codicillos, hi vobis in albo tradentur. Vt in eis legatorũ veſtrorum nomina inſcribatis; vos viciſſim vt pro noſtris idem faciatis obteſtamur. Ne diutius huius boni expectatione cruciemur, eo breui, ſi quidem futurum eſt potiamur, ſin contrà euenerit, in eos, ad quos iure pertinebit, culpa conferatur. Deum interim obteſtamur, vt vos ſeruet incolumes, nobíſque concedat vt is colloquij ſit exitus, quem quiſque bonus expectat. Actum in noſtro conuentu, Pariſiis habito, 5. Aprilis, 1593. Signatum, PERICARD.

DE PILLES. CORDIER, THIELEMENT.

Et in inſcriptione ita habetur, *Ad Illuſtriſsimos Principes, Prælatos, Coronæ Magiſtratus, cateróſque Catholicos, qui Regis Nauarræ adhærent partibus.*

QVAMOBREM admiſſo in hunc modum colloquio, quædam de loco difficultates inciderunt, quæ vt tollerentur, die Mercurij, 21. April. placuit, ſelectos vtrinque mittere, qui vicina Pariſiis loca inſpicerent, quæ maxima ex parte diruta, nec habitationi idonea, repererunt. Tandémque Surenæ pagum delegerunt, Madridio finitimum, & Abbatiæ cui Longicãpi nomẽ eſt, vt omniũ maximè opportunum, illudque interim in ædium deſignatione notatum eſt cùm ſortem ruſticus quidam ſuper aurei quadrãte iecisset, Crúxne caderet, an lilia, Vnionis partibus crucem, eámque pagi regionem in qua templum extaret, obtigiſſe quo portendi volebant, qui cæteris magis erant curioſi, cruci victoriam Eccleſiæque deberi. Die veneris, 23. Aprilis, ad delegationem ventum eſt, & tam Principum, quàm Comitiorum nomine, hi delecti ſunt atque delegati: Reuerendiſſimus D. d'Epinac Ar-

chiepiſchopus & Comes Lugdunẽſis, primáſque Galliarum, à Lugdunenſi, Forenſi & Beiolenſi prouinciis ad comitia delegati; Reuerend. D. Franc. Pericard, Epiſcopus Abrincenſis pro Normaniæ ducatu delegatus: Reuerẽdus. D. Godefridus de Billy, Sãcti Vincẽtij apud Laodunum Abbas regularis, pro Veromanduis Deputatus: D. Andreas de Brãcas eques, dominus de Villars, Frãciæ Admirallus, Normaniæ locũ tenens generalis: D. Franciſcus Dauerton, eques Comes de Belin, in Catholicorũ Exercitu Mareſchallus, Gubernator ac locum-tenẽs generalis in Vrbe, præpoſitatu, & vicecomitatu Pariſiorũ. D. Petrus Ianin, Baro de Monieu, in ſupremo Conſiliò Senator, & præſes in ſuprema Diuionẽſi curia: Ioannes Ludouicus de Põtalier, eques Baro de Talme & Iaſſigni, pro nobilitate Burgundiæ Deputatus: Ludouicus de Montigny, eiuſdem loci Dominus, gubernator Succinij & Inſulæ de Ruis, à Nobilitate Ducatus Britanniæ delegatus: D. Nicolaus de Pradel, Dominus de Mõtolin pro comitatu Campaniæ delegatus: D. Ioan. le Maiſtre, in Pariſienſi ſenatu præſes eiuſdẽ vrbis Deputatus: D. Stephanus Bernardus, in ſenatu Di-

uionéſi aduocatus, ac eiuſdē Ciuitatis Vicecomes Maior, Burgundiæ delegatus: D. Honoratus du Laurens, Cōſiliarius in Prouinciæ ſupremo ſenatu, Regíſq; Aduocatus generalis, regionis eiuſdē, ac comitatus Deputatus. Viſum etiā eſt, D. de Ville-roy, abſentem adiicere, qui Principum nomine intereſſet. Quorum omniū poteſtas erat, vt eídem colloquio Principum ac Comitiorum nomine intereſſent, conſilia & propoſitiones, quæ ab aduerſis partibus factæ eſſent audirent; iis, vt pro ſua prudētia faciendum videretur, reſponderent: illorum deníque à quibus & mittebantur nomine, ea proferent in medium, quæ ad Catholicorum reconciliationem, Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, conſeruationem; huius denique Status vtilitatem ac pacem ſpectare iudicarent: vt conſilijs vltrò citróque propoſitis, ac expenſis, ea deinde ad comitiorū conuentum perferrent, vt de iis, quod idoneum, vtile, ac conſentaneum imprimis viſum eſſet ſtatuerent. Scripti etiam ſunt eíſdem delegatis articuli, ſuperiori deliberationi congruentes, & iis conditionibus, ſub quibus aſſenſum erat collo-

quio, qui eis pro commentariis eſſent atque documentis.

PRIMA SESSIO, DIE IOVIS, 29. Aprilis.

CVM Iouis dies, 29. April. Diuóque Petro Martyri ſacer illuxiſſet, qui colloquio initium erat allaturus, vnionis delegati ad Illuſtriſſ. D. Legatum, vt ſuperiori die placuerat, mane adierunt, qui ei de ſacro faciendo vt ſuáque ipſis benedictione impertienda ſupplicarent. Illum igitur ad Reginæ ſacellum in hunc finem duxerunt qui vbi ſacrum perfecit cui Illuſtriſſimus Cardinalis Pelleuæus interfuit, pluréſque prelati, ac inſignes viri, conſedit, & delegatos affatus, multis verbis non eſſe opus oſtendit, quibus quanti momenti eſſet legatio, iſta cognoſcerent, cùm tantam omnes de eorum zelo, fide, prudentiáque opinionem concepiſſent: vnum tantum illos admonuit, vt Dei gloriam, Regni ſalutem, ſuam denique ipſorũ exiſtimationem ſemper haberẽt ob oculos ipſiſque benedixit. Quam in ſententiam Illuſtriſſimus quoq; Cardinalis Pelleuæus eos hortatus eſt, cùm

diceret, diem eum in inſignis illius Marty-ris memoriam Romæ celebrari, ídque ſe de ipſorum in fide ac religione conſtantia bonum omen interpretari. Quibus Illuſtriſſimus idem Legatus adiecit, cùm iam ille mortem eſſet pro Chriſto oppetiturus, proprio ſanguine in terra exaraſſe, *Credo in Deum*, quod inflammatæ ac inuictæ fidei eſſet argumentum. Reuerendiſſimus Lugdunenſis Archiepiſcopus, delegatorũ nomine Illuſtriſſimo Legato egit gratias, qui hac illos gratia dignatus eſſet & tam præclarè de illis exiſtimaret. Porrò ſe optima ſpe eſſe, quòd inuocato ſacroſanctiSpiritus auxilio, ſuáque benedictione roborati, officij munus quod ipſis eſſet impoſitũ, Deo fauẽte explerent, ad ipſius (ſi fieri poſſet) laudem ac cultum, Religionis Cath. Apoſt. & Romanæ conſeruationẽ, Regni vtilitatem ac pacẽ. Cùm è ſacello abirẽt, D. de Belin, à Domino de Vic, S. Dioniſij gubernatore, accepit litteras, quibus aduerſæ partis delegatorũ nomen ac numerum declarabat: hi erant, D. Archiepiſcopus Bituricẽſis: D. D. de Chauigni, de Bellieure, de Rambouiller, de Schõbert, de Pont-carré, d'Emeric de Thou, de Reuol: omnes in

ſupremo cõſilio Senatores: quiquidẽ Poiſſiacum venerant, horáq; tertia in loco deſignato adfuturi erant, & fidem publicam in albo petebant, quod implerent. Quę litteræ vbi lectæ fuerunt, conſiliũ de ſuo poſt meridiem diſceſſu ceperunt, quo tempore vnâ omnes iter ingreſſi, & per portam nouam egreſſi quò populus frequens confluxerat, Surenæ pagum circã horam ſecundam inuecti ſunt, & domum habendo colloquio deſtinatam petierunt: vbi aduerſarum partium delegati, ipſi quoque poſt paulò adfuerunt, per domus hortum ingreſſi: hîc mutuò ſalutare & complecti, cũ omni humanitate atque comitate cœperunt, cum mirifica eorum qui interfuerunt voluptate, quorum nonnullis lachrymæ cadebant de oculis, ex gaudio ſpéque illa profectæ, quam de fœlici colloquij euentu ſuſceperãt, atque vbi vulgares aliquot ſermones vltrò citróque habuerũt, ad aulam omnem mutuò honorem deferentes aſcenderunt. Sed quoniam inter delegatos D. de Rambouillet agnouerunt, priuſquã conſiderent, Reuerendiſſimus Lugdunenſis, aliíque delegati priuatim quiſque aduerſæ partis delegatos monuerunt, ſi
D.

D. Rambouilletus hoc ſe munere abdicare voluiſſet, id ſibi iucundum fore, ob ea quæ geſta eſſe meminiſſent, id ſe publicè poſtulare noluiſſe, quò illorum ac ipſius honori cōſulerent: huius rei vt illi autores eſſent, ſe orare, vtq; huic ſuo deſiderio ſatisfacerēt, quo facilior ad cōgreſſum via ſterneretur, & illius impediendi anſa tolleretur. Vnum omnium reſponſum fuit, id neque rei ſuæ priuatæ, neque etiā ſuæ facultatis eſſe, ſed eorum, à quibus eſſent delegati, foréque difficile, vt ille colloquio abſtinere vellet, cùm id ad ipſius exiſtimationem attineret. Ad hæc defuncti Regis ſic damnari memoriam, & ea quæ obliuione delenda eſſent refricari: id nihilominus curæ ſibi fore: & quod in ipſorum poteſtate eſſet id ſe ſtatuiſſe perficere.

Poſt hæc omnes, pro ſuo quiſque ordine atque dignitate, hinc iſti, illi inde ſederunt, & de ſecuritate cœperunt agere; ac fidei publicæ communicare codicillos. Et quia Villeregij Dominus in illis non erat inſcriptus, hunc tamen Dux Meduanus adeſſe cupiebat, rogauit eos Archiepiſcopus Lugdunenſis, vt illum adſcribi concederent. Idem Archiepiſcopus Bituri-

cenſis, de ſancti Dionyſij gubernatore D. de Vic ſignificauit, cuius nomen in ipſorum codicillis non erat, quémque vt adeſſe liceret orabat. Quod vtrinque aſſenſum eſt, vtque de fide publica patentes literæ cum ſigillo haberentur, cenſuerunt, quò authoritatis amplius ac ſecuritatis adferrent.

Archiepiſcopus Bituricenſis id quoqué monuit, in ſuis ſe codicillis nullos titulos ac honores expreſsiſſe: ideóque vt idē altera quoque ex parte fieret poſtulare, vt nulla æmulationis occaſio præberetur: qua de re diſceptare non placuit, ſed eorum viſum eſt formam commutare, ſoláque delegatorum vtrinque nomina conſcribere.

Quoad ſecuritates, primò concluſum eſt; vt mutuò ſuam ſibi fidem obſtringerent, quod extemplo fecerunt, ſéque in ſuam mutuò fidem ac protectionem receperunt, cùm id etiam nonnulli dicerent, ſe ſanguine, ſi opus eſſet, paratos obſignare, mortémque potius oppetituros, quàm vt eorum cuiquam de illo numero vim paterentur inferri.

Dum maiores vtrinque ſecuritates aduenirent, duodecim Heluetios in duabus

pagi portis in excubijs atque ſtatione collocarunt.

Ad rem fore viſum eſt, ſi ab armis darentur induciȩ, & ad aliquot circa Pariſios millia, nihil hoſtile tentaretur, vtq; ea de re ab eis, quorum intereſſet, haberentur literæ, decretum eſt: nec longius eo die progreſſum fuit.

SECVNDA SESSIO, DIE Veneris, xxx. Aprilis.

DIE Veneris, 30. Aprilis, Principum ac Comitiorum delegati, horam circiter vndecimam Pariſijs egreſsi, ad Surenæ oppidum hora prima peruenerunt.

Cúmque in eum morem, quo ſuperiori die ſedere vellent, quid illi de D. Rambouilleto ſatisfactionis adferrent petierunt, quem ipſi, vt congreſſu abſtineret, ob allatas rationes orauerãt. ac prȩſertim quòd Epiſcopus Syluanectenſis, qui ab ipſorum partibus delegatus erat, cùm ſe gratum non eſſe didiciſſet, vltrò eodèm congreſſu abſtinere voluiſſet. Reſponderunt ipſorum non eſſe ea de re ſtatuere, & ne D. Rambouilletus adeſſet, edicere. Quoad

Dominum Syluanectenſem, ſe cur abeſſet, cauſam neſcire, cuius gratum ſibi futurum fuiſſe conſpectum confirmabant, ſibíque vt omnes qui veniſſent ſine omni difficultate admitterent imperatum eſſe: rogare ſe ne in priuatis iſtis minutiis inſiſterent, ſed hæc prætergreſſi, de publicis rebus cogitarent. Reſponderunt delegati id ſibi integrum non eſſe, quin priùs ſibi hac de re factum eſſet ſatis: ſéque in aliud cubiculum ſeparatim receperunt, quod idem alij quoque fecerunt. D. Rambouilletus ſignificauit ſe cum quibuſdam ex eis libenter acturum: Qua de re cùm inter Principum ac ſtatuũ deputatos conſultatum eſſet, placuit illum audiri: in quem finem Archiepiſcopus Lugdunẽſis, Epiſcopus Ambrincẽſis. D. D. de Vilars, de Belin, de Ianin, delecti ſunt. In quorũ preſentia, cùm dictus Rambouilletus longam inſtitueret narrationẽ, Dominus Lugdunẽſis declarauit non ſe eò veniſſe, vt illũ vel ſe purgantem audirent, vel etiam incuſarẽt, ſed tantùm vt quid impedimenti ac retardationis eius pręſentia commodi ijs eſſet allatura, quæ ex eo actu ſperabãtur, repręſentarent, quod leniter ac priuatim, ne

ille offenderetur, egiſſent.

Poſtquam eum audiri placuit, declarauit viris illis ſelectis, eóſque obſecrauit, vt hominum conſilia in aliquem ſemper finem referri cogitarent. Quare ſi id conſilij dediſſet, oportere, aut ſe à recto ſenſu alienum fuiſſe, aut aliqua priuatæ vltionis cupiditate incitatum, aut vt apud Regem iniret gratiam, aut denique quòd iudicaret commodi plurimùm ex ea re ad Regnum eſſe peruenturum. Quod ad primũ caput attinet, etſi alij ipſo prudentiores erant, non tamen ſe adeò imprudentem exiſtimari, vt eiuſmodi conſiliorum Regi author fuiſſe putaretur, qui eum à triginta aut amplius annis cognouerant, quo tempore in maximis rebus Regibus ſeruire contigerat, eos teſtari poſſe ſi vellent, temeraria ipſius conſilia ac præcipitata nunquam extitiſſe, neque ad crudelitatem vímque propenſa, ſed potius ad lenitatem, pro ſui ingenij ac naturæ ratione, quæ à funeſtis tragicíſque facinoribus ſemper abhorruiſſet, cuiuſmodi fuerant Bleſis perpetrata. Quoad ſecundum; tantùm abeſſe, vt à felicis memoriæ duce Guiſio, vllam accepiſſet iniuriam, vt contrà omni

honore ab eo doníſque affectus eſſet, qui ei iuris cuiuſdam redemptionē quæ ad eum ſpectabat gratis condonaſſet, cuius etiam cùm partem aliquam domeſticis ſoluendam offerret, ne id quidem vnquam pati voluerit. ad hæc cùm Meldis, Sedani, aliíſque locis cum eo fuiſſet, ipſius ſemper ſummo cum honore vſum eſſe conſiliis, quod ex pluribus illius ſcriptis manu codicillis, quos habebat, conſtaret. Quo-ad tertium, multis quidem defunctum regem dotibus à Deo fuiſſe exornatum, ſe tamen tot in eo vitia & defectus obſeruaſſe, ac inter cæteros, quòd leui mutabilíque eſſet ingenio, & ad ea quæ ipſi ſecretò commendata eſſent euulganda, vt nimium inconſultus fuiſſe videretur, ſi ſuam illi mentem in dubiis adeò rebus & periculoſis explicaſſet, quæ cùm in vulgus hominúmque notitiam veniſſent, nihil aliud præter infamiam & crudeles pœnas expectare debuiſſet. Quod denique ad vltimum caput attinet, ſe nimis fore flagitioſum, ſi tàm peſtiferi cōſilij autor eſſe voluiſſet, quod Regi priuatim, ipſiq adeò, rei denique publicæ malum eſſet, cùm facile cuique eſſet præuidere, Regni perni-

ciem ſecum vnà, quod euenit, eſſe tractur ū.
Meminiſſe Reuerendiſſimum Lugdunenſem, quos ſermones D. D'O, & ipſi, qui hæc diceret, cum ipſo paucis ante hanc cladem diebus, de ducis Guiſiæ perſona contuliſſent, eo Regi vtendum eſſe neceſſariò, ſiquidem ſui ſtatus perniciem vellet auertere. Quibus alterum quoque ſubiecit argumentum, quod ipſe magis vrgebat, quòd octo vel decem ante ærumnoſum illum caſum diebus, cùm Rex haberet conſilium, vbi permulti inſignes viri adfuerunt, quorum plerique nunc eſſent ſuperſtites, qui teſtes eſſent locupletes, cùm huius rei incidiſſet mẽtio, Regem dixiſſe, non id temerè à ſe, nec ſine optimo conſilio geſtum eſſe, quin aliquem è maximis huius Regni viris, cuius pepercit nomini, ſcriptum quoddam ad ſe miſiſſe, quod hæc verba contineret: *Mors Conradini, vita Caroli: mors Caroli, vita Conradini*. Quod conſilium fuit Carolo Andegauenſi, Neapolis ac Siciliæ Regi, olim datum, de Conradino Federici à Sueuia Imperatoris nepote capiendo, qui poſt illius ſpurij Manfredi obitum, bellum Carolo inferebat, quòd ius aliquod ad Neapolis regnum, præten-

debat. Quibus ipſe qui loquebatur hæc Regi retulerit, virum illum magnum non omnia Regi narraſſe, alioqui perſpectum fuiſſe, Conradini mortem, non Caroli vitam extitiſſe, ſed Carolo potius ruinæ & cædis calamitoſæ cauſſam attuliſſe. Quòd ſi huius conſilij auctor extitiſſet, id Rex illi coram tot teſtibus exprobrare potuiſſet: addebat præterea, illa conſilia non ſemel ac ſubito, neq; publicè vel interdiu, ſed ſæpius, & in ſecretiore Regis cubiculo ac de nocte eſſe ſuſcepta, quò ipſe, quod omnes ſcirent, numquam adijſſet. Aiebat denique, Reuerendiſſimum Lugdunenſem, & qui defuncto Duci à ſecretis fuit Pericardum meminiſſe, quòd eis dum captiui tenerētur nunquam ipſe quoad poſſet, defuiſſet: quos orabat maiorem in modum vt id Illuſtriſſimæ Duci à Guyſia ſignificarent, defuncti viduæ, & apud eam, vt ipſum pro ſe dicentem audiret, agerent. Et ſi quod in eum crimen magis ſpeciale, aut argumentum haberet, ſi hoc illi indicare dignaretur, daturum ſe operam, vt de eo ipſi ſatisfaceret: æquum porrò non eſſe id ipſi crimen imponi, cuius conſcius fuiſſet nunquam, vt ei eiúſque poſteris

pernicies

pernicies crearetur, cuius ſe conſcium fateri videretur, ſi ex illo cõuẽtu diſcederet: optima ſpe ſe eſſe, illuſtriſsimã Guiſię Ducẽ, cùm ipſius rationes audiuiſſet, ſuo dolori ac querelis moderaturã. Quod officiũ vt ſibi delegati præſtarent, eos vehementer orabat. Cui delegati, ſe quod optaret pro virili ac libenter acturos receperunt. Sed quoniam iuſto commotam dolore iram placari poſſe diffiderent, & ne quid emergeret grauioris incommodi, ab eo petierunt iterum, vt id ſe exorari ſineret, reíque id daret publicæ, vt ab ea ſe legatione abſolui poſtularet, quod idem Reuerendiſſimus Syluanectenſis egiſſet. Ille verò, ſi hoc ad eum tantùm attineret, vltrò ſe facturum ſubiunxit, à Principibus, Prælatis, viríſque illuſtribus, id munus ſibi eſſe impoſitum, quo de quicquid ipſi ſtatuiſsent, ſe morem eſse geſturum.

Poſt hæc nauaturos ſe hac in parte operam D. Schombertus retulit, & ad quos opus eſſet ſcripturos; atque interea apud delegatos contendit, ne diem priùs abire ſinerent, quin aliquod de rebus agendi feciſſent initium. Quæ cauſa fuit, cur in vnũ coeuntes, & de more conſidentes, de ſingulorum poteſtate tractare propone-

rent. Sed Principum, ſtatuúmque delegati, rationes, ne id facerent, viáſque inquirebant: cùm ob eam quæ expoſita eſt cauſam, tùm quòd D. Ducem Meduanum expectarent, qui Rhemis redibat Pariſios, vbi ipſe, cæteríque Principes, cum Duce Lothareno conuenerant.

Et quoniam Principum ac illuſtrium virorum delegati, qui Regis Nauarræ ſtudebant partibus, ſe noctem, quam Surenæ agerent, cum periculo agere querebantur, quòd Pariſijs milites derepente venire potuiſſent, vt ex proxima ſtatione milites quinquaginta vocarent, qui præſidio illis eſſent de nocte, conceſſum eſt, modò eos cùm Pariſijs delegati veniſſent, iuberent reuerti. Etſi eis à D. Belino oblatum eſt, vt nobilem vnum ex ſuis ſi vellent ſecum retinerent, qui maneret cum ipſis, ne quid eis incommodi fortè eueniret.

Conuenit etiam, vt dum armorum ceſſatio iuberetur, militibus, qui in præſidijs eſſent, mandaretur, ne vllas excurſiones facerent, fides publica ijs daretur, quorum opera, in eundo atque redeundo, eſſet neceſſaria, ad ea quæ incidiſſent procuranda. De quibus vt literæ haberentur, publicáque inſtrumenta, vt etiam de D. Rãbouil-

leti negotio reſponſum adferretur, miſsus eſt à Principũ & aliorũ qui à Regis Nauarræ ſtant partibus, delegatis, Dominus à Gieura, qui in maiore cõſilio eſt à ſecretis; cùm cęteri quoque, pares literas Pariſijs ſe, primo ſuo aduentu, allaturos ſpopõdiſsẽt.

Die dominica, Miſsa in ſacello Borbonico, & ſacra cõcione peracta, Archiepiſcopus Lugdunẽſis quod in ſuperiore Seſſione actum fuiſset, in ipſa Cleri aula retulit, cæteris Ordinibus in ea conuocatis; quibus viſum fuit vt ſequenti die ijdem deputati illuc redijrent.

TERTIA SESSIO, DIE *Lunæ*, 3. *Maij*.

DIE 3. Maij, qui ſanctæ Cruci ſacer eſt, cùm Archiep: Lugdunenſis in morbũ incidiſset, Pariſijs mane exierunt; cúmque ad Sequanæ ripã peruenirsẽt, inter Longicampi cœnobium & Surenæ pagũ, præcipuum negotij caput, quod in conſiliorum cõmunicatione poſitum erat, in præſenti non aggredi, ſed in diẽ Mercurij reijcerę placuit. interea de ſecuritate, armorũ ceſſatione, omníſq; facti hoſtilis, poſse tracta-

ri, facultates etiã vtrinque communicari. Cùm igitur de more cõſediſsent, priúſquã ad rẽ aggrederentur, priuatim de D. Rambouilleto in aurem reſponſum eſt, vt illius Legatio reuocaretur, nõ potuiſſe impetrari, multis quidẽ grauiſsimiſque de cauſis, ſed pręcipuè ne quid, de iis quæ Bleſis accidiſſent, quæſtionis moueretur.

Exhibiti ſunt vtrinque publicæ fidei codicilli; maiore ſigillo vtrinque obſignati. Cúmque de armorum ceſſatione ageretur, contentionis aliquid & difficultatis ſubortum eſt, quod ad locorũ ambitum, ac perſonas attinebat: quod quia cõponi non potuit, D. D. Belino & Ianino negotium datum eſt vt cum D.D. de Reuol & de Vicea de re conferrent, & quid ipſis viſum eſſet, poſt meridiem ad vniuerſum cœtum referrent. Nam vt de re ipſa agerent, tempus eſſe maturum.

Tum Dominus Bituricenſis his ad illos verbis affatus eſt: In omni re agenda, earum quæ agerent perſonarum, & facultatis quam haberent, habẽdam eſſe imprimis rationem: etenim Iuriſcõſultos dicere nullum maiorem eſſe hac in parte defectũ, quàm facultatis & authoritatis. Eam ob rẽ ſuas ſe facultates in medium proferre.

Ad hæc Epiſcopus Abrincenſis reſpondit, id ſibi quoque ita videri, huius negociationis fundamentum ex facultate pendêre, indéque ducendum eſſe exordium: quem in finem facultatem quam ipſi accepiſſent, exhibuit. Cúmque, de facultatibus vt deliberarent, vtrinque ſeceſſiſſent, idē D. Abrincenſis delegatorum qui à dictis principibus eſsēt, ait ſe vidiſſe poteſtatem, ea forma qua deceret putare cōtineri, nihilque quod in eam obijcerent, habere.

Archiepiſc. Bituricenſis, illorum quoque ſibi viſam facultatem expoſuit, quam nonnihil imperfectam mancámque iudicarent, quæ ſçilicet ad audiendum modò atque referendum, non ad ſtatuendum aliquid, aut definiendum pertineret. Nihilominus ſibi cum viris rem eſſe ea authoritate ac dignitate præditis, vt cum eis agere nullomodo detrectarent: quòd etiam ſcirent ea quemque apud ſuos opinione eſſe, vt quod ipſis in iſto conuentu placuiſſet, omnes poſtea ratum eſsēt habituri. Quòd denique tam parum ab eis diſtarent, qui hanc ipſis mandaſſent prouinciam, vt de omnibus quæ incidiſsent rebus, ipſorum facile iudicium & approbationem affer-

rent:quod vt in ijs rebus facerent quæ grauioris eſſent momenti, ſe poſtulare declarauit. Ad hæc Dominus Abrincenſis collegarum nomine reſpondit, ipſorum quidem illuſtriorem in membranà, ac ſpecie maiorem eſſe facultatem, reipſa ſimilem eſſe vtrobique, ac autoritate parem: quod nemini dubium eſſet, de tantis rebus nihil eos acturos eſſe, quin priùs cum eis contuliſſent qui miſerant,ſuáque vt inſtituerant oracula cõſuluiſſent. Sed neque ſe eſſe cõmiſſuros, vt aliter quicquã tentarent:hunc ipſis à ſuo cœtu honorem habitum,vt ampliorem poteſtatem tribuere parati eſſent: Verùm neque officij neque modeſtiæ viſum eſſe illam admittere, cùm præſertim ſe adeò vicinos reputarent, vt breuiſſimo tempore, ac ſine vlla retardatione, eos poſſent, de ijs quæ incidiſſent rebus, conſulere. Cæterùm illos quorundam Principum ac primariorũ Virorum nominibus agere: ſe verò omniũ qui de Vnione eſsẽt, comitiorum,ac nobiliſsimarum Regni ciuitatum.atque ita facultatum vltrò citróq; exempla ſunt tradita. Expoſtulauit eodem mane D. Belinus, de quodam caſu qui inter milites quoſdam ad Chapellam acciderat, vbi cæſi nonnulli, vulnerati, & ab-

ducti. Quare placuit, vt de re vtrinque quæreretur, & ad ipſorũ deinde conuentũ referretur, vt de ea quod æquum viſum eſſet, ſtatueretur. Poſt meridiem de armorum ceſſatione concluſi ſunt articuli, atq; in hunc modum vtrinque approbati.

Imprimis vt tutò haberetur conuentus & omnis faceſſendi delegatis negotij tolleretur occaſio, ab armis ceſſationem, omníq; facto hoſtili fore, qua gauderent non ipſorum modò perſonæ, domeſtici, ſerui, comitatus ac ſupellex, ſéd cæteri quoq; omnes cuiuſcunque eſſent ordinis ac conditionis, qui quatuor à Pariſienſi ciuitate ac Surenæ pago leucis circunquâque diſtarent, à Pariſienſi nempe ciuitate, ad ea quæ hîc deſcripta ſunt loca, eorũ ac parœciarum ambitum, ſimul comprehenſis, per rectam ab vno ad alterum lineam. Quo etiam gaudeat omnis illa regio quę inter nominatã Pariſiorum ciuitatem interiecta eſt, intérq; Cellarũ, Vallis-iocoſę, Aliceti, Villæ pictę, Roiſſiaci, Gõneſſiæ, Sarcellarũ, Montis-Morenciaci, Argentelij pagos. Vltra fluuium verò eodem iure cenſeatur quicquid interiacet agri ad Sanctum Germanum in Laya, Roquencuriam, Choiſiacum ad boues, Pallatiolum, Longo-iumel-

lum, Iuuiſiacum, & quicquid trans fluuium eſt à Matrona ad Sequanam, indéque ad villam nouam Sancti Georgij, cùm Sequanam trāſieris, Suſſiacum, Boiſſiacum, Amboillam, Noiziacum; indéque cùm eūdem iterum amnem tranaueris, Nulliacum ſupra Matronam, indéque Cellas: non ideò tamen in Vrbes, cæteráque in quibus præſidia ſint loca ingredi cuiquam fas fore, niſi ab ijs qui eis præſint per fidei publicę codicillos facta poteſtate, ídque ad decē dierum ſpatium, à ſecundo Maij ducto initio, quod tamen ſpatium, ſi opus ſit, renouari poſsit atque prorogari. Omnibus cautum iri militibus cuiuſcunque eſsent ordinis atque nationis, ne quas excurſiones facerēt actúſque hoſtiles ederēt; iniurias aut contumelias, facto vel verbo, ad illud tempus, in eorum, quæ ſupra dicta ſunt, locorum ambitu inferrent; capitale fore, ni pareretur: iura nihilominus ac vectigalia, quæ annonæ mercibúſque erant impoſita, ſine fraude ac dolo, in locis ad id prius conſtitutis, ſolutum iri. Quod autem ad eos attinet, qui modios frumenti importare ſolerent, ſi intra induciarum ſpatium eſsent iuuenti, nullam eis quòd iura non ſoluiſsēt vim illatam iri. Quòd ſi alii in pacti fraudē

ea vti

ea vti negociatione prǽſumerent, qui illam antea non exercuiſſent, à delegatis in eodem ſuo conuentu ſuper ea re prouiſum iri. Quod denique ad Carpenta attinet, etſi in eodem induciarum interuallo tributo non ſoluto eſſent deprehenſa, ijs quibus fraus facta eſſet, in eodem cœtu ſatisfactũ iri. Vt denique iſti ſeruarentur articuli, patentes literas, ſub vtriuſque partis ducum authoritate, datum iri, atque publicatum, ne quis poſſet ſe neſcijſse cauſari.

Quod actum eſt, & patentes ad gubernatores, & locorum propinquorum duces miſſæ, vt induciarum leges & ipſi ſeruarẽt, & à cæteris ſeruari curarent, quibus etiam mandatum eſt, ac locorum magiſtratibus, vt in eos, qui violaſſent, exempla ſeuera ſtatuerent, alioqui rationem ſuo illos ac priuato nomine reddituros. Quæ patentes D. Ducis Meduani authoritate Pariſijs publicatæ fuerũt, die Martis, 4. Non. Maij.

QVARTA SESSIO, DIE Mercurij, V. Maij.

CVm manè conuenlſsent, poſt vulgares aliquot vtrinque ſermones, Bi-

turicenſis Archiepiſcopus , priuſquam ad ea conſilia veniret, quæ habebat patefacienda, ſe ait Deo gratias agere, quòd inter tot tumultus, & ærumnoſi ſeculi tenebras, tam beatum diem paſſus eſset illuxiſse, quo primùm conuenire cœptum eſſet ad remedium aliquod noſtris malis indagandum, & funeſtos noſtrorum diſſidiorum exitus prohibendos. Agebat etiam gratias, quòd eos placuiſſet viros deligi, quos ea prudentia videret præditos, eóque in huius Status ſalutem ſtudio, qui denique rectam in hoc negotio mentem animúmque ſincerum adferrent. Quamobrem optima ſpe ſe eſſe, hunc congreſsum ſine proſpero aliquo euentu non fore dirimendum, neque optimis tot ac ornatiſſimis viris exprobratũ iri, quod propheta querebatur: *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Neminem eſse verè Francum, qui nõ ſummum animo doloremcaperet, cùm de noſtris cogitaret miſerijs, quíque non ferret ægerrimè, quod hanc monarchiam, ſic iam afflictam aſpiceret, quam olim tam florentem ſe videre meminiſset.

Archiepiſc. Bituric. propoſitio.

Nollo ſe noſtra vulnera refricare, & dolo-

res renouare, digitum tamen in eos intendendum, vt eis curatio adhiberetur.

Nobilitatem, cuius vires adeò firmæ aliquandò extitiſsent, adeòque coniunctæ, nunc ita debilem eſse atque diminutam, vt in interitum breui ruitura, & regnum ſuo firmamento & inſigniori ornamento, priuandum videatur.

Iuſtitiam, quæ olim tanto in pretio fuit, tanto impijs terrori, quæque cum ſumma apud exteras gentes æquitatis laude ſuum cuique ius dedit, inter arma deſpectam penitúſque proſtratam iacere, nec ſuas poſse actiones exercere.

Copioſas & opulentas ciuitates deſertas eſse, commercium ac mercaturam deſinere, omnia dedecoris plena eſse ac perturbationis.

Nobilem illam maximámque Pariſiorum ciuitatem, ſolâ ſuburbiorum ſuorum ruinâ eſt videre, quàm illius facies viſu eſſet miſeranda; omnes in ea ordines perire, penéque omninò extinctos eſſe: illam etiam tam celebrē Academiam, quod barbari cuiuſdam in poſterum ac indocti ſeculi omen eſſe videretur; iuuentutem verò omnibus deditam vitiis ac cupidita-

tibus, quòd ei diſciplina defuerit.

Tertium ordinem, qui olim omnibus copiis affluebat, & beatos quondã agricolas, cùm ſuorum laborũ fructus colligerẽt, militum hodie inſolẽtiæ ac crudelitati expoſitos, & in deſperationem redactos eſſe.

Terram ipſam horrentes comas oſtendere, & vt pectatur deſiderare, vt quos ſolebat fructus poſſit proferre.

Eccleſiam quoque, quam primo loco debuiſſet nominare, ſuo cultu carere, Religionem peſſum ire, charitatem ac pietatem omnem interire, templa prophanari, altaria euerti; ſeque illud verè affirmare poſſe, ex quo hi poſtremi motus eſsent excitati, plus de eo honore ac cultu qui Deo, obedientia quæ Eccleſiæ, diſciplina quę bonis moribus deberetur periiſſe, quã multis ante ſeculis perire contigiſſet; ſperandum non eſſe vt Religio inter blaſphemias & ſacrilegia reſtitueretur, ac inter diſſenſiones noſtras & odia, quæ tandem nihil aliud, niſi omnem cladem atque miſeriam, & regni omnium præſtantiſſimi ac florentiſſimi vaſtitatem atque perniciem eſſent paritura.

Vnam ſolámque ab iis ſe erigendi mi-

ſerijs, tótque calamitatibus ac perturbationibus prouidendi viám, pacem eſſe, quæ pietatis ac Religionis mater eſt, iuſtitiæ firmamentum, otij popularis atq; ſolatij origo, cuius deniq; ope atque ſubſidio, ſpes eſſe poſset, omnia in meliorem ordinem redigendi, ac priſtinum ſplendorem ſuum ac fœlicitatem huic coronæ retinẽdi: tempus eſse aliquem noſtris tragœdiis finem imponendi, ſi verè Franci eſsemus, & amantes patriæ: ſolos Extraneos eſse, qui ex noſtris cladibus vtilitatem caperét, quíque vt eas alerent, omni ope ſtudióq; niterentur.

Tempus eſse alicuius otij in reliquum vitæ noſtræ tempus comparandi, & in huius ſtatus incolumitatem incumbendi, cuius potentia opibúſque Religio futura eſſet incolumis, non armis ac bellorum continuatione. orare omnes atque adiurare, vt hanc complecti pacem ac perſequi vellent, illi prophetæ conſilio obſecuti, *Inquire pacem & perſequere eam*. Naturam ipſam, vna ac eadem vultus ſpecie nos ad pacem allectare: nos naturam noſtram peruertere, quæ ad lenitatem & ſocietatẽ eſset propenſa, cùm tumultus atque diſcordias

ſectaremur: nolle ſe pluribus verbis vti, cũ
apud eos ageret, quorum ſynceram men-
tem ac voluntatem perſpectam haberet;
ſe tantùm obſecrare, ſi qua haberent ac
expedita conſilia, quæ ad tantum boni cõ-
ſequendum valerent, vt ea patefacerent:
nolle ſe in animum inducere, mandata
atque conſilia, vel in hoc conſeſſu, vel in
tanto delegatorum à prouinciis cœtu non
fore aliqua, ad illud quod quærebatur re-
mediũ, quódq; adeò neceſſariũ eſſet, inue-
niendum opportuna; quod ad ipſos atti-
neret, paratiſſimos ad eã rem ſemper fore.

Archiepiſcopi Lugdunenſ. reſp.

Reuerend. Lugdunenſis Archiepiſco-
pus, ſuo ac ſociorum nomine, ſermo-
ne ſuſcepto, ait, Se quoad ipſos attine-
ret, animos nulla perturbatione occupatos
adferre, ſed puram ac ſinceram mentem
ad vtile aliquod & ſalutare conſilium, ad
regni & ſtatus conſeruationem idoneum
perueſtigandum: ſe confidere, cùm vtrin-
que idem ſtudium paremq́ue animum ad-
ferrent, Deum huius colloquij proſperum
daturum eſſe exitum, facturúmque vt ad
ipſius honorem & gloriam, & ex piorum
omnium verè Catholicorum voto ſenten-
tiaq́ue cederet, ſua conſilia & actiones non

aliò vnquam ſpectaſſe, quàm ad eiuſdem Catholicæ Apoſt. ac Rom. Religionis incolumitatem, in qua initiati eſſent atque inſtituti; pro cuius denique defenſione arma ceperant, fortunas omnes vitámque adeò certi profundere, ne aboleri eam, aut etiam periculo exponi, ſinerent. Quæ religio huic Monarchiæ ortum, progreſſum, ac ſplendorem attuliſset, in qua noſtri Reges educati fuiſsent, in eáque perſeueraſſent tot ſeculis, tam fœlici proſperóque ſucceſsu; ſine qua etiam hæc Monarchia diu nõ poſset ſalua ſubſiſtere: quam denique tanti feciſsent eorum maiores, qui vt ad poſteros ſaluam integrámque tranſmitterent, ne ſanguini quidem vitæque pepercisſent.

Noſtras verò ærumnas, & huius ſtatus extremos caſus, nihil opus eſse commemorare, quos ſatis ſupérque experiebamur, quóſque exteri etiam populi, cùm referri audirent, vix, ac ne vix quidem, à lachrymis ſibi temperarent: Porrò in id incumbendum erat, vt vtilia & ſalutaria conſilia, atque remedia quærerentur, ad vulnerum quæ gerebat medicinam, quibúſque penè ſuccumbebat: neq; id agendum

modò, vt aliqua huic ardori ac inflãmationi pręſens leuatio quæreretur, ſed rimãdas eſse penitius tàm acerbi mali cauſas, quò tolli poſſint omnino, ſtatúſque priſtinę ſaluti reſtitui. Imperiorum, quæ inter cætera floruiſſent, ſatis nos exempla docuiſse; ipſúmq; adeò rerum vſum, illorũ originem cauſámq; malorũ vnam eſse hæreſim, quæ iſtorum tumultuum flãmam excitarit, qua hoc regnum ardeat, penéque ſit redactum in cineres: hæreſim eſse, quæ, ab annis triginta, eius fundamenta labefactare ceſſarit nunquam, quæ rebellionẽ, procellas coniurationum ac perturbationum excitarit, quæ illud horrendum in morem agitant, ad quod priuſquam eidem hæreſi patefactus eſset aditus, nulla vnquam viſa erat legibus obſequentior, magis morigera, magíſque conſpirans natio. Neque ſperandum eſse, quoad in eo foueretur, perturbationes ac tumultus poſse componi. Adſcribendam eſse hæreſi templorum expilationem, altarium euerſionem, agrorum vaſtationem, vrbium denique egeſtatem. Quæ etſi ſummum ipſorum animis doloris ſenſum adferrent, grauiùs tamẽ animarum pernicie ac ruina commoueri, quam

in dies

in dies cernerent, quæque in ſummo nunc verſarentur Religionis amittendæ diſcrimine, qua nihil charius illis eſſe par eſt, nihílque pretioſius, quam ſi ſaluam integrámque retineant, nec ſuburbiorum eos ruina, nec vrbium ſuarum egeſtas, inopiáque percellat.

Quod ad pacem attinet, ipſam rem adeò ſanctam eſſe, noménque adeò iucundum ac lene, vt maiori laude ac commendatione non egeat, eam pacem poſtulare Catholicos, modò Dei Eccleſiæque pax fuerit, quæ ſtatus otium ſecum ac proſperitatem adducat. Quin ipſum quoque Dei filium, qui pacem nunciaturus venerat, quíque eius author erat ac princeps, longè altiùs mentes erigendas monuiſſe, vt vera pace frui contingat, ad ipſius nempe laudis ac gloriæ zelum, quem vt in hominum animis pectoribúſque inureret, patrem à filio diuiſurum ſe veniſſe aſſerebat. Pro Religionis denique cauſa ac defenſione opes deſerendas, parentes, initáſque ſocietates ac fœderationes mādabat. Quòd ſi bella ob hāc cauſam ſuſcepta atque perpeſſa reprehenſioni paterent, eos pariter eſſe damnandos, quorum piam ſanxit ac

immortalem eſſe memoriam.

Hoc ſaltem ſe ſolatium, hanc animo voluptatem capere, cùm bellum, quod ipſi ſuſtinerent, iuſtum eſſe reputarent: neque eos pro tàm pia cauſa, cuiuſmodi eſſet Religionis defenſio, vitam pœniteret profundere, cuius ſecuritas quoties eis certis conditionibus, miniméque dubijs eſſet oblata, ſe nulla alia ambitione, aut priuata quauis vtilitate duci manifeſtè comprobarent.

Etſi verò non ea mente eóque conſilio delegati veniſſent, vt de pace tractarent, nullúmque in ipſius mandatis atque codicillis de pace verbũ inuenirent, quòd, quę illi allaturi erant non poſſent augurari: Nihilominus ſe adeò publicæ pacis amantes eſſe atque ſtudioſos, vt prolata conſilia repudiaturi non eſſent, ſi cum Dei honore, ſuo in Religionem & Eccleſiam officio non pugnarent. Illud ſe diſſimulare ãc reticere non poſſe, ad beatæ ſolidæque pacis iacienda fundamenta opere-pretium fore, vt Catholici animis eſſent ſenſibuſque coniuncti, ad tuendam & ſtabiliendam Religionem, & Hæreticorum vim conatúſque reprimendos; qui ſuam

hæreſim , niſi noſtra ruina ſtatuere non poſſent, quibuſque nõ aliæ ad nos debellãdos vires ſuppeterent, quàm mutuas inter nos diſſenſiones, diuiſiones atque diſcordias: hunc eſſe ſcopum ad quem Catholici collimare debeant, eoſdémq; ſuas cogitationes ac labores eò cõferre vt firmã ac ſecuram quietem breui obtineant, qua priſtina nationis Chriſtianiſſimæ huius gloria exiſtimatióq; reuiuiſcat, & Religio noſtræ poſteritati tàm redeat integra, regnumque tàm amplum ac florens , quàm vnquam extiterit, hanc pacem noſtris viſam eſſe patribus , hac noſtros vſos eſſe maiores, per nos tantũ ſtare , quominùs tam ſereni tamque beati ſeculi primordia videamus, hoc eſſe quod ipſi ſua ex parte percupiant, hunc eſſe fructum, quẽ ex iſta congreſſione expectent, vt vnicum noſtrorum malorum remedium , & ad impedienda Religionis ac Status naufragia, tutum portum ac aſylũ. Deum ſe obteſtari, vt eorũ mentes in tam pium finem diſponat, viamque qua ad illũ perueniant dirigat, ampliſſimũ rei fore meritum, laudémque apud poſteros ſempiternam.

Poſtquam duo illi Prælati has vtrin-

que orationes habuerunt cum ſumma dicendi vi ac copia, quam illis natura ingenuit, Principum ac nobilium virorum qui Regis Nauarræ adhærent partibus delegati, in cubiculum ſe deliberaturi receperunt, poſteaque vbi vnà conuenerunt, Dominus Bituricenſis hunc iterum ſermonem exorſus eſt.

Altera D. Bituric. oratio.

Actum eſſe de pace; de qua ipſe quidem vniuerſim tantùm verba feciſset; non id ſatis eſſe: ad ſpeciales rationes eſſe deſcendendum, quo loco breui oratione ſe vti ſtatuiſſe; cum omni vt verborum, ſic etiam animi ſimplicitate, vt maiori cum candore fiduciaque ageretur.

Docere Philoſophos pacem nihil aliud eſſe, niſi ordinem in Statu pręclarè cõſtitutum, & animorum atque voluntatum inter homines conſenſum.

Deum rerum omnium opificem & cõſeruatorem ſic eas diſpoſuiſſe vt ſingulari quodam ordine ſuperioribus inferiora obedirent, & pacem inter ſe mirabili concentu conuenientiaque ſeruarent.

Et ſi res humanę rerumque publicarum & adminiſtrationum ſtatus, continuis mutationibus atque varietatibus eſſent

obnoxij, oportere nihilominus in aliquo eas ordine reguláque ad huius ſupremi exemplaris morem formamq́ue contineri: hunc ordinem aliter conſtitui non poſſe, quàm ſubditorum inter ſe concordia & vni ac ſupremo capiti obedientia, quibus nulla firmiora eſſent vincula, nullę arctiores compages, quæ rerum publicarum ſtatum tenere poſſent atque conſeruare, réſque ipſas publicas beatas ac inuictas reddere; nec ſe inficias ire, quin præ omnibus Religionis ſecuritati eſſet prouidendum & pari ſe eius tuendæ ſtudio cum eis conſpirare, non minus diſſidiorum ac factionum pertæſis, quæ illius in integrum reſtitutionem prohiberent.

Verùm, niſi primùm Regis ac ſupremi Principis obedientia, & hæc inter ſubditos concordia, ad Status firmitatem ac ſtabilitatem eſſet conſtituta, incaſſum de tuenda Religione diſputari, quam ille incluſam contineret.

Hunc principem aliũ eſſe non poſſe, niſi quem Deus ac natura dediſſet, cuiq́ue ſucceſſionis ſerie priſciſque Regni legibus ad Regnum ius eſſet, quippè qui ex regio ſtẽmate ac D. Ludouici familia foret oriũdus.

Poſtulare vt aduerterent animis quantùm illa in ſacris paginis commendaretur patribus à Deo inſtitutis præſtanda obedientia, oculóſque in primorum Chriſtianorum exemplum cõuerterent, qui tanta patientiæ ac humilitatis laude, ſupremorũ ſuorũ principum obedientiã ſemper eſsẽt amplexi, etſi paganorũ ac Idololatrarum Fidei denique ac Religionis ſuæ hoſtium ac perſecutorum, oculos cùm tollerent in cœlum, parique modeſtia atque reuerentia eorum actiones moréſque perpeſſi eſſent; pro eis ſupplicãtes, cultum eis ac obſequium deferentes quòd ſcirent de ſceptris Deum ac coronis vt viſum eſſet decernere; poſt tot documẽta patrumq; exẽpla, exſoluẽdam eſſe ſine dubitatione legitimo ſuo Regi obediẽtiam, à Deoque cõſtituto, nulla ipſius actionum conſcientiæque ratione habita.

Offerre ſe illis non Idolis addictũ Principem, aut qui profiteatur Mahumeti legem, ſed Dei gratia Chriſtianum, quique eundem nobiſcum Deum credat, eandem Fidem, idem Symbolum, & à nobis quibúſdam tamen erroribus & Sacramentorum varietate diuiſum, à quibus co-

nandum eſſet illum eripere, poſtquam tamen illum agnouiſſemus, eique quod ſuū erat reddidiſſemus.

Quòd niſi is non ſit qui deſideretur, inuitandum ac vrgendum vt eſſe velit: orare ſe illóſque obteſtari vt in id pariter communibus votis precibúſque incumbant: iungite, inquit, vos nobis, nóſque vobis iungamur: veſtra laus erit quòd in rectam viam redierit, quodque tam pręclarum facinus, támque memorandum perpetrarit.

Id ab eo non ſperari temerè, quod ſperandum ſuaderēt eſſe quam plurima: eius ea de re promiſſa extitiſſe vt primùm ad illum ius Regni peruenit, quæ ille ſæpius deinde iterarit: Nunc vero perſpectū eſſe ipſius animum, quem in eam rem propenſum multis cõiecturis & argumentis oſtēderit. Marchionis de Piſani, ad ſummum Pontificem ipſius impenſis Legationem id ſatis teſtari, cùm ea quam ipſis fecerat poteſtate, vt in eorum congreſſum colloquiúmque venirent. Ad hæc quòd cùm nuper Mantis agerētur ſupplicationes, de feneſtra proſpexerit, diuque aperto capite permanſerit. Breui, iam illum eò

Dei gratia propendere, iſta ipſos ſperare: id denique ſibipolliceri: nihilque reſtare aliud vt tantum boni promoueatur, niſi vt omnes vnà connitantur, quò euentum res tàm præclara ſortiatur. Cómotum iri eius animum, ſi id videat fideles ſubditos poſtulare: atque vt illi iucundum fuerit, obſequium ſibi ab eis, quod deberetur, perſolui: ſic etiam id in eorum aget gratiam, vt ſubitò eorum ſe precibus flecti patiatur: eóque magis, quòd hanc deliberationem ad Regni ſui tranquillitatem neceſſariã eſſe iudicabit. alia eſſe ſubiecit, quæ D. de Bellieure cœtui repræſentare poſſet, quæ ipſius mentem ad reſipiſcendum paratam oſtenderent: ille verò nihil ſe quod Domini Bituricenſis verbis adderet, habere reſpondit, qui quæcunque in eam ſententiam dici poſſent ſapientiſsimè diſſeruiſſet.

Cùm prandij hora inſtaret diſceſſum eſt. Poſt prandium verò, quid reſponſi ferendum eſſet, Vnionis delegati conſultarunt, quorum ſinguli de Domini Bituricenſis propoſitione dixerunt ſententias, communíque conſilio ad eam reſponderi placuit. Quoad Regi Nauarræ,

præſtandam

præſtandam obedientiam, eius rei ſibi nolle fieri mentionem, mortemque ſe potius oppetituros teſtati ſunt, quàm vt Hæretico vnquam obtemperarent. In eam rem vt Archiepiſcopus Lugdunēſis diuini ac humani iuris decreta, Eccleſiæ ſtatuta, Concilia, principes denique ac fundamētales Status leges proferret. Quod etiam ad inuitationem pertinebat, eam neque debere, neque poſſe fieri, ob multas quæ allatæ eſſent cauſas, quæque deinde idem Lugdunenſis, cum ſumma grauitate eloquentiáque repræſentauit.

Cùm igitur poſt meridiem loco ordinéque ſolito conueniſſent, Lugdunenſis Archiepiſcopus daturum ſe reſponſum dixit, cum ſummo quo poſſet honore ac reuerentia, eos orauit apud quos ageret, vt veniam darent, ſi quo eos verbo manè læſiſſet, illudque cogitarent, id eſſe mandatum ſibi ab iis qui eos legaſſent, ídque ſibi videri concedendum, vt in tàm ardua re, tamque ſuſpicioſa, cuiuſmodi eſſet Religio, neceſſaria dicendi licentia, ac orationis libertate vti poſſent, quæ tamen ea futura eſſet, vt ad iuſtam potius ſuæ cauſæ defenſionē atque *Altera Archiep. Lugdun. reſponſio.*

patrocinium, quàm ad cuiuſquam contumeliam ſpectaret.

Fateri ſe ait ac cũ ipſis recognoſcere pacem ac Statuum proſperitatem, Principis obediẽtia niti cumprimis, ac ſubditorum inter ſe cõcordia: hanc tamẽ, vbi Religionum eſſet diuerſitas, coagmẽtari nõ poſſe: etiam experientiã à triginta annis ſatis docuiſſe, illam tumultus tãtùm procreare: ſocietatũ, etſi omnium ſanctiſſimæ eſſẽt, vincula perfringere, ad Atheiſmum viam munire, omni rempublicam perturbatione cõplere. Contra verò Fidei ac diuini cultus in vera Religione cõformitatem pulcherrimum illum, quem quærerent ordinem proferre, illumque pacis cum iuſtitia occurſum atque complexum, qui veram tranquillitatem, diuinarũ ac humanarum benedictionum copiam generaret, reliqua pacis genera huius vmbram tantùm exiſtere, & eius nomen quidem gerere, re autem ipſa nihil aliud niſi bellũ cum Deo eſſe, & æternarum diſcordiarum ſeminarium.

Ambroſ. l. de Abrah. c. 9. *quomodo poteſt pax cõſiſtere, vbi diſcrepat fides?* Greg. Naz. Orat. de pace. *Nihil magis cõciliat homines inter ſe, quàm conſentientes de Religione ſententiæ: & contra nihil, &c.*

Matth. 6. Vt Statum ab hoc periculo in quo verſaretur eriperent, Regnum Dei imprimis in eo eſſe ſtabiliendum, conſtituendamque

Religionem : cætera deinde abundè ſuppeditatura, cùm ea eſſet qua regna florerent, ad quam vt dominam Reges omnes politiæque referri deberent, eóque ſenſu id verè poſſe affirmari, Religionem in Republica contineri, ſed vt animam in corpore, quæ illi vitam motúmque largiatur.

Quod ad ſupremi capitis obedientiam, id ſe quotidie cupere atque poſtulare, hæc eſſe vota Prouinciarum, hæc delegatorum mandata, modò Rex foret nomine réque Chriſtianiſſimus, à maiorum denique pietate non alienus : at Hæreticum regem in hoc Regno Chriſtianiſſimo agnoſcere, quod eſſet Eccleſię primogenitum, & antiquum hæreſęos flagellum. quicquid de ſacrarum literarum autoritate, & veterum Chriſtianorum exemplis allatum eſſet in medium, id cum diuino ac humano iure, Eccleſiæ Canonibus, Conciliis generalibus, Eccleſiæ vſu, primitiuis ac fundamentalibus huius Status legibus pugnare.

Primùm enim apertam eſſe Dei legem, quæ Regem, niſi de fratrum numero, prohiberet inſtitui, hoc eſt, niſi Religionis Deut. 17.

eiuſdem conſortem, qua vera fraternitas, quæ ex Fidei coniunctione procedit, continetur. Quod etiam ſanciendæ legis cauſa demonſtrat apertiùs, nimirum ne populum Rex in Ægyptum redire compelleret, infidelitatis ſcilicet ac hæreſeos abyſſum: cui præcepto vt morem gererent

2. Paral. 11. Iſraëlis presbyteros atque ſacerdotes, cæteróſque qui Dei timore præcellerent, ab Ieroboami ſe obedientia diſtraxiſſe, quòd veram Religionem abieciſſet, ſéque Regis Iuda, qui fidelis eſſet, obſequio ſubieciſſe:

4. Reg. 8. vrbes Edon ac Lobna, quæ ad presbyterorum ac Sacerdotum dominium ſpectabãt,

2. Paral. 21. quáſque ſapientiſſimi ac religioſiſſimi quique colebant, à Ioramo Hieroſolymorum Rege ſexto, eandem ob cauſam defeciſſe, qui miſerè cum ſumma populi lætitia

Ioſeph. lib. 9 Antiq. cap. 3 perierat; ideóque in maiorum monumentis ſepultus non fuerat, nec vllo honore regio & exequiarum pompa exornatus. Amázias cùm diuino cultui ad tempus fuiſſet addictus, ab eo deinde diuertiſſet, ideóque, cùm in eum rebellaſſet populus, in Lachis ciuitatem ſeſe recepiſſe, quò cũ

2. Paral. 25. fugere Hieroſolymorum ciues compulerunt, in eáque obſeſſum, conſilio quodam

generali morte mulĉtarunt. Reginam Athaliã Ioiadæ ſummi pontificis autoritate, ac totius populi conſenſione, de ſolio extractam fuiſse, cùm ſex regnaſset annos & capitis, in poſteritatis exemplum, damnatam periiſse. 4.Reg.11.

Idem quoque in Euangelica lege eſſe ſancitũ, qui Eccleſiæ ſcilicet morem gerere detrectaret, pro ethnico, prophano ac publicano haberi oportere, nedum, qui ab ea relegatus eſſet, Regem in Eccleſia eſſe recipiendum. Quî verò poſſet admitti cùm eum D. Ioannes etiam ſalutari prohibeat, quod ſolius vrbanitatis officium eſt, eum domum recipi, cum eo conferre atque conuerſari? D. verò Paulum eos acrius inſectari qui coram pagano ac infideli iudice cauſas agerent, cùm poſtremos è Chriſtianis eligi mallet, apud quos de ſuis rebus diſceptarent: quod eſſe voluit argumento, quàm indigni eſſent miniméque idonei infideles, qui in Chriſtianos atque Catholicos authoritatem imperiúmque exercerent; quódque hæreſis ac infidelitas arctiſſima quæque vincula diſſolueret, quæ etiam vxorem à viri iugo imperióque liberaret. Matth.18. 2.Ioan.5. Tit.3. 1.Corint.6.

Vniuerſa Concilia paria interdictionis & anathematis decreta in hæreticos pronunciare, eóſque omni in Catholicos dominatione ac principatu indignos declarare. Lateranum ſub Innocentio 3. celebratum, pietatis pleno Pontifice ac integritatis, vbi maximus prælatorum numerus interfuit, ſancire, vt omnes Principes ſacramento ſe obſtringant, profligaturos ſe quos Eccleſia denunciaſſet hæreticos, & hanc peſtem hæreſeos procul à ſuis Regnis, terris, ac iuriſdictionibus eliminaturos, alioqui excommunicationis ſubituros ſententiam, eorúmque vaſſallos ac ſubditos fidelitatis ſacramento abſolutos, ac eorum iugo obedientiáque liberos declaratum iri. Concilium illud per omnem Chriſtianũ Orbem receptum eſſe, vſúque comprobatum, ſed in Gallijs maximè, quòd ex Regum noſtrorum ſacramento conſtet in ipſa inauguratione prȩſtari ſolito, quod ad verbum ex Concilij contextu deſumptum ſit. In Toletano Concilio ſcriptum eſſe neminem Regem aut Principem admitti poſſe, quin ante iuraſſet, nullum ſe in ſuo Regno niſi Catholicum eſſe paſſurum, ſi hoc ſacramentum ali-

Tolet. 4. c. 64.

quando infringeret, vt execrationi & anathemati ſubiaceret: ſi hoc Concilium pro Hiſpanijs inſtitutum dicatur, turpe Francis fore, ſi Hiſpanis in Fidei ac Religionis zelo concedant.

Quod ſi diuino iure id apertè conſtabat, Patrum etiam, ac veterum Chriſtianorum vſum eodem accedere: quam in rem multa liceret exempla conferre. Ma- 1. & 2. lib. Machab.
thathiam eiúſque filios Machabæos ab antiquitate laudari, ac poſteritati vt Dei ſeruos commendari, quòd Antiochi Principis ſui impietati cedere noluerint, ſed eius tyrannidi pro Fide ac Religione reſtiterint. Licinium & Maxentium, qui primi è Romanis Principibus à Fide deſciuerant, cauſam præbuiſſe Catholicis, vt in eos inſurgerent, & ad Conſtātinum confugerent, qui vtrumque inito ob hanc cauſam prælio debellarat. Conſtantius Arrianus Conſtantini filius, cùm D. Athanaſium ſua ſede expuliſſet, Conſtantis auxilium, qui illius frater erat, imploraſſe Catholicos, húncque illum vi ac perſecutionibus abſtinere cōpuliſſe. Infinita propemodum eſſe eiuſmodi exempla, quæ ſilentio prǽteriret; orare tamen vt illius

libertatis meminiſſent, qua antiqui præſules ac Eccleſiæ columnæ D. Athanaſius. D. Hilarius, D. Chryſoſt. D. Grego. Nazianz.& D. Cyrillus, Imperatores ſuę ætatis Monarchas compellare ſolerent, cùm hæretici & Eccleſię hoſtes exiſterent, quos lupos, canes, Serpentes, Tigres, Dracones, leones rapaces, Antichriſtos appellarent, aliáque in eos acerbiſſima nomina vſurparent. Sed imprimis Sardiniæ præſul Lucifer, ijs quos in Conſtantem emiſit libris. Qui omnes, multum abeſt vt illos vellent agnoſcere, aut, alijs, vt eis parerent, authores eſſe: ita enim honorificam de eis mentionem feciſſent, quod inter obedientiæ argumenta non poſtremum numeratur.

l. Manicheos. l. Arriani. l. Quoniam. l. Credentes. l. Cognominu. C. de Hæret.

Hinc cùm ad humana iura deſcenderet obſeruare, plurima eſſe decreta & conſtitutiones Eccleſiaſticas, plurimas leges, & Imperatorum edicta, Conſtantini, Theodoſij, Martiani, Iuſtiniani, quibus, inter cæteras pœnas, hæretici, quíque fauent hæreticis, omnibus bonis declarentur indigni, honoribus, authoritate, muneribus publicis, etiam infimis minimíque momenti. Quonam igitur pacto ad eam

dignitatem

dignitatem putarētur idonei, quæ omniū toto Orbe prima ampliſſimáque cenſetur.

Quoad Monarchiæ Francorum leges, nec D. Rhemigij ſe velle referre teſtamentum, nec antiqua Regum edicta, huiúſq; Status decreta memorare. Vnum etenim quod in ſua inauguratione præſtare tenentur ſacramentum, de tuenda Catholica Apoſtolica ac Romana Religione, hæreticíſque profligandis, ratione cuius, non aliter, ſuam illis ſubditi fidem obſtringant, quàm neceſſaria ſit hæc adeóque fundamentalis conditio, ſatis indicare. Eámque ob rem prioribus, quæ Bleſis cōuocata fuerunt, Comitijs, propoſitū eſſe vt Rex Nauarræ Condæíque Princeps, de hæreſi deſerenda monerentur, alioqui qui vnquam huius Regni tenerent gubernacula indignos fore; quódque idem Regis animus ac voluntas eſſet, eáque Ordinum propoſitioni conformis, perſpectum eſſe. Poſtremis verò Comitijs, quàm ſolemnibus publicíſque iuramentis, quo populi applauſu ac gratulatione, hæc recepta lex fuerat, & pro fundamentali Regni lege ſacramento ſancita? Neque verò eam artificio procuratam aut vi extortam poſſe

P

confingi, niſi fortè vim dixeris, importunas atque continuas, quæ ab omnibus fiebāt ordinibus poſtulationes. Et licet funeſtus ac tragicus fuerit iſtorum Comitiorũ exitus, vt neq; libera fuiſſe videātur, nihilo minus ad poſtremas vſq; conciones, vt rata lex illa ſanctáq; haberetur, ſemper inſtitiſſe delegatos: Regem etiam, vt nihil in ea mutaretur, ſed firma perpetuáque ſeruaretur, ſuæ voluntatis eſſe, propriè declaraſſe.

27. Ian. 1589.

In diuinis ac humanis legibus recenſendis non eſſe immorandum diutius; ipſa ratione ac experientia ſatis conſtare, quàm minimè tutum eſſet Principis dominationi, qui contrariæ Religioni addictus eſſet, ſeſe ſubijcere. Etenim cùm ſuam veram eſse opinaretur, nemini dubium eſse poſſe, quin illam omni ope viáque promoueret, eam cōtrà quæ illi aduerſa eſſet, ſi poſſet, extingueret. Cúmque Regis voluntas pro lege eſſet, quæ etiam ſcripta lege fortior eſsèt atque potentior, prætereа tamen authoritatem Regiam mille illi rationes ac vias ſuppeditare, quibus eiuſmodi conſilia executioni mandaret, ſed duas præſertim: quarum prima eſse exemplum, cuius ea vis ſit in ſubditos, vt in

vitiorum aut virtutum, quæ in ſuis exiſtant Principibus imitationem ſe facilè duci patiantur, ſed Galli præſertim, qui Regum ſuorum ſimiæ dicerentur. Sub pijs Regibus Dauide, Ezechia, Iozia valde Religioſum fuiſſe populum: cùm Ieroboamus etiam Religionem delegit, vniuerſum populum in illam ſe dediſſe præcipitem. In Eccleſia Chriſtiana, magni Conſtantini exemplo vniuerſum Orbem Chriſti fidem eſſe complexum, ſub Conſtantio Arrianiſmum, Atheiſmum ſub Apoſtata Iuliano. Noſtra ætate, Henricum octauũ Anglorum Regem innumeros ſui Schiſmatis ſectatores habuiſſe: Edoardũ eius filium facilè Religionem immutaſſe: Mariam religioſiſſimam, hæreſim breui depuliſſe; nec longiori tempore Caluiniſmum Eliſabethã introduxiſſe. Nouiſſimè verò Saxonũ Ducatũ viſum eſse Lutheri doctrinam ſub Principe Lutherano recipere; ſtatímque eiuſdem Principis voluntate, Lutheri doctrinam deponere, Caluiniſmum reuocare: Poſtmodum verò pro eius libidine arbitrióque, qui filiorum principis tutelam gerebat, Lutheri diſciplinam repetere, Caluini opiniones

-explodere. Neque verò altè repetitis hiſtorijs aut externis exemplis opus eſſe; nos iam ſummo dolore noſtro experiri, quid hæretici Principis poteſtas authoritáſque valeret, ſi Regem conſtitui & à Catholicis agnoſci contingeret, qui ſua ætate cuniculis viderent Religionis fundamenta tentári; neque eos interim ab Hæretico altarium demolitionem, templorum ruinas, in ſanctam ſedem & Eccleſiæ autoritatem blaſphemias, & indigna pleraque perpetrata, hæreſeos miniſtrorum inſolentiam, de qua nihil eſſet dicturus aſperiùs, reuocare. Viam alteram, quæ principibus hæreticis cùm eis omnes obtemperarẽt, ſuppeteret, vim eſse & authoritatem, qua ad honores publicáque munera, quos luberet eueherent, eáque ratione vt ex ipſis penderent, ſibi eos obligarent. Qua etiam ſeueritate & ſceptri terrore eos deprimerent, quos fauore atque benefactis non poſsent corrumpere, ſi eorum iuſsis ſtudiiſque repugnarent. Non aliis opus eſse teſtimoniis, quàm earum perſecutionum, quas ſub Cõſtantio, Valente, Genſerico, Hunerico, Traſimundo, ceteríſque Principibus Arrianis paſsi eſent Catholici, quę

adeò crudeles extitiſsent, vt niſi antiqui patres, qui in mediis illarum flammis incendiíſque ſtetiſsent, D. Athanaſius, D. Gregorius Nazianzen⁹, Rufinus & Victor Vticenſis, literarum eas monumẽtis conſignaſsent, fide ac opinione maiores apparerent: neminem fore, qui à poſteris cùm illa referri audiret atrocia immaniáque tormenta, quæ Catholicis Anglorũ Regina toti regno inflixiſset, fidem eis adhiberet: fore neminẽ qui non toto corpore exhorreſceret cùm ſuã memoriam ad earum crudelitatum recordationem excitaret, quas Hæreſis pænè innumeras in Galliis exercuiſset. Quæ ſi id potuit cùm eam noſtri reges affligerẽt atq; adeò profligarent, quo in Catholicos forè animo putãda eſt, cùm ei authoritatis regiæ vires acceſserint, ipſáque domina atque regina euaſerit?

Cùm igitur tot Catholicis ſuppetant vicina domeſticáque exempla, atque ratio experientiáque accedant, exiſtimandum non eſse tantam eorum fore ignauiam, vel tam in ſeruando tam charo tám que pretioſo Religionis pignore incuriã, vt eam Hæretici poteſtati oppignerare nõ

dubitent, eíque excelſam illam & abſolutam poteſtatem, quaſi gladium in manum tradere, quo ab eo perimatur. Non hanc ſe Chriſtianiſſimo ac pietatis laude celeberrimo Francorum populo turpitudinis labem inuſturos, vt quod Hæretico capiti ſubſit, & ab Eccleſiæ corpore amputato, velint aſsentiri: id priúſquam aſpicerent, ſe diuina adſpirante gratia conſtitutum habere, omnia potius conſiliorum genera experiri, quantúmuis eſſent extraordinaria, ne vitæ quidem parcentes, quam non poſſent in meliore nec illuſtriore cauſa profundere: portenti ſibi viſum eſſe ſimile, quod quidam dicerent eo ingenio eáque conditione Principi, naturæ iure ſe teneri obligatos, quaſi qui diuinitus datus eſſet atque inſtitutus. Quandoquidem in Chriſtianis Regnis, quicquid iuris naturę aut gentium eſset, quicquid ad humanas leges ſpectaret, id omne Dei gratiæ cedere oporteret: quâ reges vnâ regnarent, Chriſtóque cedere, omnium toto orbe Regnorum ſupremo à natura dominatori, in cuius ſortem ac hereditatem Dei ceſſiſſet populus, quem ad ſuam ipſius gloriam Eccleſiæq; dignitatẽ promouendam ſub-

alternis ac inferioribus poteſtatibus ſubiecisſet, quíque neminem dediſſet ceterorum, nec miniſtrum ſibi atque vicarium ordinaſſet. has leges longè eſse alias, quàm ſucceſſionis aut ſanguinis, de quibus fuerat inſtituta mentio, quas ſi vellemus admittere, Religionis tamẽ Catholicæ profeſſionem ad eas iungendam fore, vt naturalem ac neceſsariam conditionem; & ad ſuccedendum remouendam inhabilitatem, quæ contrahi maior nõ poſſet quã Hæreſi, quàm Eccleſiæ anathemate, quàm denique arcentibus regni legibus & inſtitutis, quod erat demonſtratũ; Fidem carni eſſe præferendam, ac hæreſeos lue infecto ſanguini; eam eſſe veram ſucceſſionem, quæ in fide & operum eorum imitatione conſiſtat, à quibus te oriundum eſſe glorieris, D. Ludouicum felicis recordationis principẽ, & virtutibus ſuis ac pietate ſingulari relatũ in Diuos, nunquã eos in poſterorũ ac ſucceſsorũ numerum adſcripturũ, qui hęreſes propugnarẽt, quarum ſe hoſtẽ tanto ſtudio profeſſus ſit, ac debellatorẽ.

Oſee.8. ipſi regnauerũt, ſed non ex me.

Greg. Naz. Succeſſor verus, qui in fide non in throno ſuccedit.

Quòd etiam ſe aiebant de eo principe verba facere, non qui paganus eſset aut Idolis deditus, ſed qui verum ac eun-

dem Deum nobiſcum crederet, vnam & eandem fidem ac Symbolum teneret; id ſuæ Fidei veritate refelli, quæ certò doceret maiorem in præcipuis etiam quibuſque capitibus pugnam eſſe non poſſe; cum alij abuſum, ſuperſtitionem ac Idololatriam dicerent, quod alij ſuæ ſalutis Fideíque firmamentum reputarent, eandémque veritatem oſtendere, non ſimplicis cuiuſdam erroris, ſed Hæreſis loco haberi oportere, quod Eccleſia Oecumenicáque concilia, eiuſmodi eſse ſanxiſſent; alitérque hac de re ſentire, id verò eſſe Religionem ac errorem nullo habere diſcrimine, Atheiſmo viam aditúmque patefacere. Quòd ſi ad Religionem Catholicam propius Hæreſis paganiſmo videatur accedere, id ipſum eſſe cauſsæ, cur Eccleſiæ magis periculoſa magiſque peſtifera cenſeretur, quæ à domeſticis quàm externis hoſtibus plus ſemper fuiſſet afflicta, eóque magis contagioſum malum putaretur, quo facilius ſe vultu ſimili formáque inſinuaret.

Hinc ad inuitationem acceſſit, ad quã ſe non poſse attendere, multis grauiſsimíſque argumẽtis oſtendit: primùm quod

ad fidem

ad Fidem conuerſio, Dei munus opúſque, ſit, quò non inuitãdo proteſtãdóq; veniretur, ſed partim ſacroſanctiSpiritus impulſu motúque diuino, partim ſe ad eam gratiã omni ſubmiſsione animi, vitæ ac conſciẽtiæ integritate, recipiendam comparando: regem Nauarræ vt ad Eccleſiam rediret prioribus Bleſarũ Comitiis, honeſtiſsima ad eum ampliſsimáque legatione inuitatum eſſe; eundem, quòd Catholicus intra ſex menſes futurus eſſet, poſt defuncti regis interitum ipſis promiſiſse: quod ſi facere ipſorum cauſa noluiſset, multo minus hoſtium cauſa eſse facturum, nec ipſi honeſtum id fore, ſi ab hoſtibus Catholicus factus diceretur. D. Ducem Meduanum cum ipſo eadem de re egiſse ſæpius per viros ſumma dignitate ac autoritate præditos, qui tamen operam hac in re inanem poſuiſsent: Quodque ipſos magis commoueret, id quoddam principium fore eius agnoſcẽdi, quod facere nec vellent, nec poſsent; ſacramenta item ritu ſolemni prçſtita cum publici periurij nota infractum iri. Summi denique Pontificis autoritatem in eo lædi, qui cùm eum Bullis excommunicaſset, & ab Eccleſia ſepa-

raſset, cum eo agere aut vllum commercium ac communionem habere interdiceret. Quod denique ad reductionis futuræ indicia, illa infirma nimis, nulliúſque eſse argumēti. Etenim quod ad Marchionis de Piſani Legationem pertinet, non Regis Nauarræ, ſed aliorum nomine eſse inſtitutam, quæ ſubmiſſio, humilitáſque ea non erat, quæ in eiuſmodi actibus deſideraretur; nec ea reuerentia, quæ ſuæ Sanctitati deberetur. Quod ſi ſacræ Supplicationis pompa religioſè procedente, caput è feneſtrá detexerat, non id egiſse, vt Cruci ſanctíſque honorem haberet, vel quò Eccleſiæ ceremonias approbaret, ſed magis vt Principes, Nobiles, fœminas illuſtres, cæteróſque, qui adeſsent, ſalutaret: quod audientibus riſum cōmouit. Verùm grauiora longè ſibi argumēta ſuppetere, quibus in contrariam opinionem ducerentur: promiſsa, quæ, ritu ſolemni, de non deſerenda ſuperſtitione ſua ediditſset; ſubſequentes actiones, quibus in exercenda hæreſi perſeueraſset; ijs illum qui eam profiterentur aſsiduè gratificari, grauiora munera locáque munitiora eiſdem in manum tradere, Miniſtros per

prouincias quaſi ſtipendiarios Magiſtratus diſtribuere, Ianuarij & Iulij menſium Edicta renouare, de eorum qui ad honores officiáque promoti eſsent, Religione, ne quæſtio haberetur, edicere; quod his diebus elapſis factũ eſset Turonibus. Hîc Reuerendiſsimi Lugdunenſis ſermonem D. de Chauigny interpellauit, cùm diceret, illud Edictum à curia Turonenſi non eſse ratum habitum. Reuerendiſs. Lugdunenſis inſtitutam narrationem perſecutus, voluntatis ſaltẽ illius id ait eſse argumentum, cùm publicari & ratũ haberi voluiſſet; addiditque interceptas eſſe Legatorum Angliæ literas, ex quibus facile eſset colligere, quæ Regis Nauarræ quoad illam conuerſionem mens eſset, quæ eò tãtùm ſpectaret, vt Catholicos, qui ipſi aderant, retineret, & magis magiſque implicatos teneret, vt denique viam ſibi ad regnũ muniret, malle ſe de ea re ſilere, quàm plura dicere.

Finem itaque dicendi faciens, paulò ſe longiorem ait ſermonem habuiſſe, verùm ideò fecisſe, vt intelligerent, quàm iuſta illa eſset ſuarum partium deliberatio, qua Hæretici nunquam ſubeſse dominationi

conſtitutum haberent. Neque ſperandum eſſe, vbi tot pro hac cauſa labores exantlaſſent, quæ ad Dei honorem, Fideíque conſeruationem ſpectaret, facilè ſe ab illa dimoueri poſſe, aut vlla conſilia quæ ad id valerent excogitari.

Catholicos ſe obſecrare, vt attentè ſecum vnà conſiderēt, quantam id eſſet Deo inferre iniuriam, quantum Eccleſiæ præiudicium, quantam poſteritati calamitatem, ſi in Hæretici manus hoc ſceptrum venire ſineretur, qui ſua inſtitutione Religioni Regni, totíque Rei Chriſtianę perniciem importaret. Cùm Catholici eſſent, & Eccleſiæ filij, committendum ſibi non eſſe, vt illius defenſionem coniuratus eiuſdē hoſtis ſuſciperet. Cùm veri eſſent Franci, debere ſe dignitatis ac ſplendoris huius Coronæ ſtudioſos eſſe, illi præcipuam ſuam laudem, quę Religionis eſſet integritas, conſeruare; hanc denique poſſeſſionem, quam in hunc diem ſine controuerſia tenuiſſet, quòd reges alios nullos habuerit niſi Chriſtianiſsimos, & Hæreticæ impietatis hoſtes acerrimos, propugnare. Summum ſe animo dolorem capere, quòd videant Catholicam Religionem Catho-

licorum armis opprimi, quibus illam par erat defendi : neque dubium eſſe quin hæreſis de vtriſque pœnas exigeret, de his etiam quorum ope ſubſidióque eſſet conſtituta. Obteſtari ſe vt in communes ſuæ Religionis hoſtes conſpirarent, ab eorum ſocietate diſcederent, ſalutari illi conſilio obtemperarent, quod à Deo Moyſes, ac Iſraëlis filij accepiſſent: *Recedite à tabernaculis impiorum, ne inuoluamini peccatis eorum.* *Num. 16.* Vnà denique omnes coïrent ad Dei laudem & gloriam promouendam, Religionem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam retinendam, huius denique Status tranquillitatem procurandam.

Hac Reuerendiſsimi Lugdunenſis oratione grauiùs ſe commotum eſſe oſtendit Comes de Chauigny: aítque non Religionē ſe Catholicam impugnare, quam ſemper propugnaſſent, ne vitæ quidem parcentes, quod etiam illuſtriſsimis argumentis comprobaſſent, ſed pro Statu in eos qui illum vſurpare niterentur decertare, ſéque Deo iuuante daturos operam ne in Gállijs Catholica Religio interiret.

Archiepiſcopus Bituricenſis, cùm illam concionem audiiſset, petijt vt ſibi liceret

cum Collegis conferre: cúmque vnà contuliſſent, horam circiter quartam, atque vt ad audiendum reſponſum iterum vnà coïrent poſtulaſſet, hæc ait, Cùm manè de obedientia Regibus debita & à veteribus Chriſtianis præſtita loqueretur, etſi pagani eſſent hoſtéſque Religionis, ſuum conſilium non fuiſſe, vt in eam rem plura teſtimonia & exempla coaceruaret. Sed quoniam ad ea vētum eſſet, ſe facere nō poſſe, quin nonnulla quàm breuiſsimè poſſet, recenſeret. Atque illud imprimis ſe quidem eis aſſentiri, legem populo Dei latam eſſe, vt cùm de conſtituendo Rege ageretur de fratrum numero illum eligeret, & ne extranei alicuius iugū imponi fas eſset, illúdque ſubiecit edictum eſse, vt Legis Deuteronomium Rex ipſe, ad exemplum, quod ei ſacerdotes dediſsent, deſcriberet, vt Ioſias in ſua inauguratione, de Elchiæ ſummi pontificis manu ſumpſiſset: Verùm nuſquam præceptum, aut conſilium exſtare, quo Regi per ſeditiones, aut rebelliones, reniti mandaretur; contrà nihil æquè toto ſcripturę contextu, vt obedientiam Regi ac ſupremis principibus debitam commendari: quæ etiam reuerentiæ

illius plena eſset exemplis, quæ Regibus à prophetis veteribuſque Chriſtianis ſolèret exhiberi.

Sedechiam regem Iuda, quòd Regis *4.Reg.24.* Chaldæorum non pagani tantùm, verùm etiam omnibus flagitijs inquinati, iugum excuſsiſset, grauiter increpari, cùm ille nihilominus ſeruus Dei diceretur: eundémque Sedechiã acerbiſsimas luiſse pœnas, populúmq;,qui eius rebellioni aſsenſus eſset, in captiuitatem abductũ fuiſſe: contrà verò Iſraëlem, eius omni procul *Iſa. 4.* dubitatione iuſsa capeſsiſse. *Hier.27.29.* *2.Reg.27.*

Nuſquam legi, quòd prophetæ veteres obſtitiſſent regibus, ac in eos rebellaſſent, imò quòd honorem eis detuliſſent, difficillimis adfuiſſent temporibus, eis denique à conſiliis extitiſſent. eos tantùm de admiſsis criminibus cùm multa libertate monuiſſe: vt Samuel Saulem admonuit, Abias Ieroboam, Dauidem Nathan, Elias Achabum, cui etiam erat à conſiliis.

Primi illius ſeculi Chriſtianos, in actionibus ſuis, verbis, vitæque rationibus, nihil aliud niſi lenitatem, manſuetudinem, obedientiámque ſpiraſſe. Cúmque quòd in imperatores ac eorúmdem Statum re-

Apolog. Tertul. Iuſti. Mart. Quad. Nazian. Melite.

bellaſſent, rei agerentur, refutaſſe calumniam: contraque, authore Tertulliano, confirmaſſent nihil aliud ſuam diſciplinā tradere, niſi timendum Deum, colendam ſupremorum principum maieſtatē, quos primum, ſecundùm Deum, honoris locū tenere aſſererent, de iiſque honorificè loquerentur. Quòd ſi in eos aliquando inuecti legerentur, non id egiſſe dum viuerent, ſed poſtquam è vita migraſſent.

Quòd denique in eos aliquando arma mouiſſent, obſeruatum non eſſe; precibus tantùm ac patientia, non armis eis reſtitiſſe. Quòd ſi aliqui aliam viam tentare voluiſſent, proſperum nunquam euentum habuiſſe; ne conſilium quidem Machabæorum, quod malè infelicitérque ceſſiſſet, etſi maximus illos ad Legis ſuæ obſeruationem zelus ageret.

Quoad locos ex nouo inſtrumento citatos, maximè qui ſocietatem & communionem Hæreticorum prohiberēt, iis præceptis tùm eſſe locum, cùm numero eſſent exigui, cúmque ita ſine detrimēto aliquo etiam Eccleſiæ fructu & religionis incremento, fieri poſſet: non autem cùm in tanto eſſent numero, vt ſine maxima offenſione

offenſione,&Eccleſię ac Religionis pernicie à cæteris diſcerni non poſſent. Et hanc veterum patrum eſſe doctrinam, adeóque imprimis D. Pauli, quem ipſi citaſſent, quíque id diſertis verbis expreſsit, cùm ait, *Scripſi vobis ne commiſceamini fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.* 1.Cor.5.

Quòd ad Concilia attinet, fateri ſe Lateranũ 4. è celeberrimis fuiſſe, quæ in occidente vnquam congregata eſſent, & pulcherrimũ frequentiſſimúmque Imperatorum, Principum, Patriarcharum ac Pręſulum fuiſſe cœtum: in eóque multa pręclarè ſanctéque eſſe inſtituta: de iis autem, quæ ad ſupremos principes pertinerent, ad errores etiam ac hæreſes, quæ in eorum ditione pullularent, id conſtituiſſe vti moneantur. Nam hoc ipſo monendi verbo vſum fuit Concilium: hanc porrò eſſe viam, quam tenere oporteret cõmonendi, non damnãdi, hortandi non proſcribendi, neque lites ab executione, admonitiones ab anathemate, auſpicandum eſse. Berengarij vnius cauſa qui Archidiaconus tantùm Andegauẽſis exiſteret, quatuor eſse conuocata Concilia, qui-

bus ille conuinceretur, eiuſque Hæreſis damnaretur, vt Genebrardus etiã Aquẽſis Archiepiſcopus, in ſua Chronologia teſtaretur: Ea igitur dignitate ac autoritate Principem, qua Rex eſſet Francorum, non indignum debere cenſeri, pro quo ab errore abducendo, omnes viæ tentarentur, quod tamen perfectum non eſſet.

Atque vt ad ea reſponderet quæ de Eccleſiæ vſu ac veterum patrum exemplis in medium allata fuerant, ad ea ſe quæ antè dixiſſet id ait adijcere; eiuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticę exemplis & antiquitatis teſtimoniis conſtare, Chriſtianos æquo ac patienti animo, paganorum ac Hæreticorũ principum tuliſſe dominatum; Neronem, Diocletianum, Domitianum, Eccleſiam perſecutos eſſe; non ideò tamen autoritate ſua ac ſuorum ſubditorum obedientia excidiſſe. Conſtãtium, Iulianum Apoſtatam, Valentem, Zenonem, Anaſtaſiũ, Heracliũ, Conſtantinum 4. & 5. Iuſtinianum 1. & 2. Leonem 3. & 4. fuiſſe hæreticos: negatam nihilominus eis non fuiſſe à Chriſtianis obedientiam; ſed ne D. quidem Ambroſiũ eum cultum obedientiámque, quam Iuliano Imperatori milites

Chriſtiani præberent improbaſſe, id tantum eos monuiſſe , ne quid contra Dei honorem legémque tentarent : hanc verò D. Ambroſij ſententiam relatam eſſe in canonem *Iulianus*, 11. *q*. 3.

Theodorico, Atalarico, tot alijs Vandalorum in Africa, in Italia Gotthorum ex ordine Regibus Chriſtianos atque Catholicos obtemperaſſe, licet Arrianis. Prælatos etiam ſuæ ætatis ac Epiſcopos, illos agnouiſſe. Ipſos denique Pontifices Maximos, vt Ioannem 1. & 2. Bonifaciũ alióſque, qui illos omni honore reuerentiáque proſecuti eſsent.

Ad ciuiles inde atque canonicas leges deſcendens, ne multas rationes congereret, id tantùm ſe ait reſpondere, in Hæreſiarchas tantũ ac hęreſeon autores valere, non in eorum ſectatores: ad hæc eiuſmodi leges ac canones non ſupremos Principes obligare, qui à Deo immediatè ſua ſceptra accepiſsẽt, nullis hominum obſtricti legibus, ſed priuatos tãtum, quorum opes ac ſucceſſiones humanis ac ciuilibus magiſtratuum legibus, eſſent ſubiectæ: Regẽ porrò Hæreticum dici non poſſe, qui in hac Fide educatus eſſet, & à teneris annis

eadem imbutus, nihilque in eo obſtinationis eſſe ac pertinaciæ: immò ad diſciplinam capeſſendam paratum ſemper extitiſse, & ad deponendas opiniones ſuas, ſi quis eum veritatem docuiſſet; Hæreticum niſi poſt hæc cenſeri non poſſe, ídque ex D. Auguſtini doctrina, quam Rex ipſe citaret, & canonum qui pro Hæreticis nõ illos haberent, *Qui ſentẽtiam ſuam nulla pertinaci animoſitate defendunt, quam à parentibus hauſerunt: quærunt autem multa ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint.*

Aug. li. 18. de ciuit. Dei. cap. 15. Epiſt. 162.

Ad leges illas fundamentales; neq; Comitia, neque Regem aiebat, huius Regni legem quæ de ſucceſſione eſſet abrogare potuiſſe, quæ perpetua eſſet, nec id cuíquã detrahere poſse quod ei natura léxque peperiſsent, & quiſquis ad Regnũ vocaretur, eum hoc legi tantùm illi, ac Monarchiæ conſtitutioni acceptum ferre. Declarationis, quæ in Bleſenſibus Comitiis emiſſa eſset, mentionem ipſi non eſſe faciendã, quòd, vt omnia in illis acta eſſent meminiſſet, &, *quorũ*, vt aiebat, *pars magna fuiſſet*: nec plura ſe de illa dicturum. Et licet libera Regis voluntate totiuſque populi

conſenſione comprobata eſset, id ſucceſſori præiudicium ferre non poſse.

Quod etiam tot exemplis atque argumentis, à vi, gratia, principúmque imitatione petitis, Religioni timebatur, certáque habebatur, in hoc Regno, mutatio, oſtendit multum inter hunc ceteróſque Status, quorum mentio facta erat, intereſse; in quo à tot ſeculis tàm altas Catholica Religio radices egiſſet, neque tam ſubitæ mutationi tàm vaſtum Regni corpus obnoxium eſse, in quo tot, tam amplæ eſſent ciuitates, adeóq; opulentæ, tot Principes, Prȩlati & Magiſtratus nobiles, viríq; illuſtres, qui facilè illud conſilium, ſi quis fortè tentaſset cohiberent: nec Arrianorum & Nouatianorum Principum exemplum, piorum ac Catholicorũ hominum integritatem corrupiſſe, qui ſub ipſorum regno vixiſsent. Quoad inuitationem quam fieri peterent, etſi iam anteà facta eſſet, vt tamen iterum in prȩſenti fieret nõ eſse diſsentaneum, nec in tali adeóq; expetito opere fatigari oportere, quod ad ſummam totius Rei publicæ Chriſtianæ vtilitatem certum eſset pertinere: nunquã illi inter tumultus belláq; perpetua otium

eſſe conceſsum; & inter tympanorum ac tubarum ſonum, vt de reſipiſcendo cogitaret: De eo nunquam niſi armata manu actum eſse cum illo, quaſi vis ei eſſet inferenda. Sed in præſens inutilem non fore inuitationem, vt ipſi confirmabant, verùm illius ad omnes quidē peruenturam eſſe lætitiam: ipſis verò quòd eis autoribus Rex reſipuiſſet honorem adſcriptum iri: huius denique rei gratiam totum Orbem Chriſtianum, omnéſque poſteros eſse habituros. Quòd eos ſibi iungi poſtularēt, id eò facere, quòd ſcirent quantùm gratia Romæ valerent. Itáque fructuoſam fore Marchionis de Piſani Legationem, quæ multis hactenus artificiis impedita eſset. Et quoniam nox inſtabat, negotium in diem ſequentem reiectum eſt. Archiepiſcopus verò Lugdunēſis articularis morbi preſsus doloribus, noctem illam Surenæ tranſegit, Collegarum in craſtinum diem aduentum expectans.

SESSIO V. DIE IOVIS, VI. MAII.

MAnè hora circiter ſexta, Principum ac Comitiorū delegati Pariſijs exeunt, D. Admirallo & Comite Belino

exceptis, qui vt D. Duci Meduano cæteríſque Principibus, qui eodem manè Pariſios aduētarent, prodirēt obuiam, remanſerūt. Sed neque D. de Schombert adfuit, vt neque die præcedenti adfuerat. Matutini temporis pars quædam varijs cōſumpta fuit ſermonibus, tùm de illorum Principum in vrbem Pariſienſem aduētu, tùm alijs de rebus, tùm etiam in Reuerendiſſimi Lugdunenſis cum collegis deliberatione, quid ad eos locos reſpondēdum eſset, qui erant allati: cúmque iuxta illum cæteri delegati conſediſsent, qui morbo tenebatur, vbi omnem ſuperioris diei orationem paucis retexuit, eámque confirmauit, ad ea deinde quæ obiecta erant refellenda ſeſe conuertit.

Imprimis quoad Sedechiæ exemplum, in eo plurima ſpeciatim poſse ſpectari: ille etenim eiúſque populus potentiſſimæ ſe Regis Aſsyriorum dominationi ſubiecerat, cui etiam ſacramento tenebantur obſtricti, adeò vt quod Iudæi ſubderentur Chaldeis, eiſque vrbs Hieroſolymorū traderetur, expreſsa diuinæ voluntatis & per Prophetam ipſum Hieremiam facta declaratio haberetur. Quod Deus ita per- *Ezechiel. 17. Hierem. 38.*

mittebat ſtatuebátq;, aut quòd imperium transferri decreuiſset, aut quòd meritas de pertinaci populo pœnas,exigeret,quas ipſe poſtea Rex luit Chaldæorum, vbi flagelli diuinæ iræ munus expleuit, quam ob rem Dei ſeruus dicebatur, quòd iuſtitiæ ipſius miniſter eſset ac vindex, quomo

Iob.19. do Iob Sathanam Dei ſeruum nuncupabat. Enimuero tantùm abeſse vt de obedientia Regi Nauarræ præſtanda promiſſum eſset, atque ſacramentum, vt ſolenne etiam de eo nunquam agnoſcendo ſacramentum exiſteret: tantùm etiam abeſse vt aliqua eſset voluntatis diuinæ per prophetas de ea re declaratio, vt ſummus Pontifex qui noſter propheta eſſet,Dei angelus, quíque eius inſpirabatur Spiritu, id nobis diſertis verbis prohibuiſſet,nec vnꝰ modò, ſed ordine ſex, eiſdem ac conſentaneis ſupremíſque Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicijs, Gregorij 13. & 14. Sixti 5. Vrbani 7. Innocentij 9. felicis record. Clementíſque 8. qui Eccleſiam nunc vniuerſam moderatur, quíque vix vlli Pontificum ſapiẽtia, vitæque integritate, vnquam concedat, qui multis retrò ſeculis floruerunt: præter alias virtutes ſingulares prudentiæ,

doctrinæ

doctrinæ, clementiæ iuſtitiæque dotes: ad quas mirabilis de huius Regni ſalute atque dignitate cura accedat, qui denique cùm eſſet natione Florentinus à multis expetitus videbatur, vt qui eandem quam ſuperiores viam non eſset inſtiturus, quaſi veritas, quæ à ſanctiſſima Sede diuelli non poteſt, in ea poſset diuerſa pugnánſque reperiri.

Quòd ad prophetarum exempla, qui Regibus vi nunquam obſtitiſſe, ſed monitis tantum vſi eſſe ferebantur, non illa tantũ fuiſſe monita referebat, quòd Elias regni ordines comitiáque coegiſſet, vt prophetas internecione deleret, eis mortem, qui à rege vt eum adducerent mittebantur, inferret; aliáque his ſimilia facinora, quæ in ſcripturis recenſentur, quæ etiam quod Achabo, & Iezabeli reſtiterit, laudibus illum in cœlum attollunt, de quo denique in Eccleſiaſtico id honoris cauſa memoratur: *Qui deieciſti reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum & glorioſos de lecto ſuo.* Idque iterum de illo prędicatur, quod dùm eſſet in viuis, reges nunquam timuiſſet: Illud verò ſe tùm primùm de illo audiiſſe, quòd Regi

1. Reg. 18.

Eccleſ. 48.

Achabo à conſilijs ſtetiſſet.

3.Reg.14. Nec illa ſolùm, cùm Eliſeus Iehu conſuleret, atque mandaret, vt Achabum eiúſque familiã totam deleret, nullúmque cum eo fœdus iniret, nullam dignitatis Regiæ rationem haberet, cùm denique, pacem illi Ioram offerente, reſponderet, *Quæ pax?*
4.Reg.3. *adhuc durant fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.*

Neque illam videri poſſe reuerẽtiam ac obedientiam, quam regi Ioram Eliſeus deferret, cùm ne illum quidem ſermone dignaretur, cùm diceret, niſi Regis Ioſaphat vultum eſſet reueritus, ſe ne oculos quidem in illum fuiſſe conuerſurum.

Quòd ſancti patres de principibus non niſi poſt eorum interitum cum deſpectu & cum ignominiæ nota locuti ferebantur, vt res ſe haberet ex ipſorum libris ac inuectiuis poſſe conſtare. D. quoque Hilariùm ne hæc in malam partem de illis loquendi libertas caperetur, ſic dicere: *Non erat temeritas ſed fides, non inconſideratio, ſed ratio, non furor ſed fiducia, non contumelia, ſed veritas.* Nihil ad Edonis ac Lobnę defectiones áliáque exempla reſponſum eſſe. Quòd verò de Machabæis allatum fuerat, [illegible] videri

alienum, cùm id certò conſtet Chriſtianis, ex proſperis vel aduerſis rerum euentis, de cauſa aliqua, iuſta ſit an iniuſta, neceſſarium duci non poſſe argumentum. Quòd ſi Pharao, Antiochus, aliíque tyranni, aliquando ſuperiores euaſiſſent, quòd tamen illorum Deus cauſam approbarit, inferri non poſse. Nos debere eſse comparatos, vt quicquid nobis immiſsum eſset diuinitus, ſiue clades foret, ſiue victoria, cum ſumma animi demiſſione ac æquitate ferremus: factum nihilominus illorum commendari, & in exemplum poſteritatis adduci. Ad locum ex 1. Corinth. c. 5. citatum, nullum vſquam in ſacris paginis locum extare, qui ipſorum magis cauſæ faueret. Etenim D. Paulum oſtēdere cùm Chriſtianis Idololatrarū & flagitioſorum hominum ſocietate commercióque interdiceret, non velle ſe, vt ad omnes paganos, & fidem Catholicam non profeſsos, illud pertineret: tùm quòd res eo tempore cum ſumma eſset difficultate implicata: tùm quod minus periculoſa eſset eiuſmodi conſuetudo, minúſque interdicta. *Quid enim mihi*, inquit, *de his qui foris ſunt iudicare*? De his verò qui ſuam Eccleſiæ fidem 1. Co. 5.

obſtrinxerant cauere ſe, ne vel cibum quidem cum eis ſumerent, quin eos etiam à ſua cõmunione extorres facerent. Adde quòd ſua Principes Chriſtiani ſceptra ea lege recipiũt, vt Eccleſię obſequio obediẽtiæq́; ſubiiciant, qui locus iis quoq; exẽplis ſatisfecerit, quæ de Regibus ac Imperatoribus adducta eſsent, quibus veteres illi Chriſtiani morem geſserunt, qui ſcilicet Fidei deſertores haberi non potuerunt, quã antea profeſſi nõ fuiſsent. Præterea ſi tùm deinde eiuſmodi tulerunt dominatũ, Principum etiam Hæreticorũ: vt, Conſtãtij & Valentis Arrianorum, Iuliani Apoſtatæ, Anaſtaſij, Eutychiani, Heraclij, Cõſtantini, Coprọnymi & aliorum: non ideo feciſse, quòd Eccleſiæ ius autoritáſque deeſsent, ſed quòd eam vires potentiáquę terrena deficerent: cùm ad martyrij ferẽdos cruciatus, quàm ad principum conatus refutandos, magis eſset inſtructa. Cùm denique in infantiæ cunis exiſtens, ſuóſque caſus deplorans, hæc diceret: *Quare fremuerunt gentes*. Et, *Adſtiterunt Reges terræ, &c.* verùm quoties apertum aliquem ſuæ potentiæ locum aſpexiſset, aut aliquo populi Chriſtiani emolumẽto, aut

Pſal. 2.

nullo certè eiuſdem detrimento, ſuo nunquã illam officio defuiſse: ſed id, quod de illa prophetia ſupereſset, peregiſse: *Reges eos in virga ferrea:* Et, *Nunc Reges intelligite, &c.* quod ipſi rerum euentus ſatis oſtendiſsent. Enimuero quid faceret, cùm in Italia videret Oſtrogotthos, in Hiſpania Viſigotthos, Vandalos in Africa? Et tamen in hac virium debilitate, & mediis perſecutionum flammis, aliqua ſemper ſuæ in Principes, qui Eccleſiæ hoſtes eſsent, voluntatis atque conſtantię dediſse argumẽta. Sed, quę Dei eſt pietas, non eo rem eſse loco, nec eas Regis Nauarræ eſse vires, vt eius neceſsariò ſubeundum eſset dominatus iugum, nec ſe etiam viribus opibúſque deſtitutos quibus illius conatus reprimerent.

D. Ambroſij autoritatem, quæ in cano. *Iulianus*, haberetur, ſuum in ſe ſibi reſponſum includere, Imperatoribus nempè paruiſse Chriſtianos, modò ne Dei gloria honóſque ageretur, & hæc modò obediẽtia cum illa non pugnaret, quæ Deo prima deberetur, vti ſi quid à Religionis integritate, aut à Dei mandato abhorrens, iuberetur. Quamobrem cùm vt bellum

inferrent Chriſtianis, edicto mandabatur, audientes dicto non erant, vt noſtra ætate Catholici, qui ſine omni dubitatione in fratres arma mouerunt, qui Dei obſequẽtes mandatis hæreſeos ſe dominationi opponerẽt. Lateranenſe Concilium Principes monuiſse Chriſtianos, vt Hæreticos è ſua ditione relegarent; ni feciſsent poſtquam Eccleſia denunciaſset, ijs quæ in eo latæ eſsent pœnis ſubiacerẽt. Hìc non Eccleſiæ modò haberi denunciationem, verùm etiam condemnationem, non exhortationem de Hæretico fugiendo, ſed de eodem pro Hęreticorum capite & propugnatore habendo declaratione. Quòd ſi ſæpius damnatus eſset Berengarius, non id eueniſse quòd indicta eſsent illius cauſa Cõcilia, cùm in Eccleſię more ſit poſitum, non vt ſingulos conuincat Hæreticos, ſed vt eorum hęreſes vniuerſim condemnet: itaq; in omnibus quæ illius ætate cõueniſſent Conciliis, eius eſse damnatam hæreſim (quam ab inferis Caluinus excitauit) vt Romano ac Verſellenſi ſub Leone 9. habitis; Turonenſi ſub Victore 2. extremo Romæ ſub Nicolao 2. vbi ille vltrò ſuos eiuraſset errores, pyrámque ad ea quæ

ſcripſiſset exurenda incendiſset: qui nihilominus ad ſuos iterum errores vomitúmque rediiſset. In Hæreſi autem, quod eſset diuinæ maieſtatis læſæ crimen, nullam priuilegiorum, nullam perſonarum haberi rationem, quinetiam in principibus grauius id ac cenſura dignius iudicari, tùm quòd illis maior incumbat Eccleſiæ tuendæ neceſſitas, tùm quod plus periculi ipſorum crimē, ob exemplum, quàm cuiuſquam priuati ſecum inuehat. Minus etiam fas eſse dubitare, an is habendus eſset Hæreticus, qui eo crimine teneretur; cùm poſt Eccleſiæ iudicium, ac de hæreſi latam ſententiam, illam nemo ſine obſtinatione ac pertinacia poſset amplecti, cùm is ſit verè hæreticus, qui cōtra Eccleſię Cathol. Apoſtol. & Romanæ Fidem ac decretū credit aliquid, aut quæ ab illa definita ſunt, autore eodem D. Auguſtino, in dubitationem adducit. Quod Rex Nauarræ non agit modò, verumetiam hanc hæreſin armis defendit, ac illius ſe à multis annis caput ac propugnatorem oſtendit. Quòd ſi ciuilia quoq; iura eos cēſent Hæreticos, qui vel leui argumēto à iudicio & recto tramite Catholicæ Religionis deflectūt: Quid de illis

ſentiant, qui vbiq;, ac in omnibus, Eccleſiæ Catholicæ cõtradicant? qui veterum patrũ iudicio ne Chriſtiani quidem ſunt appellandi. Quòd autem ad inſtructionem attinet, nunquam illi defuiſse, nec nunc etiam deeſse Prælatos atque doctores, à quibus poſset inſtitui, & neceſsaria documenta accipere.

Cyp. In Eccleſia non eſt, Chriſtianus non eſt. Tert. de præſc. Hæretici ſunt, Chriſtiani non ſunt. l. damnato C. de hæret.

Ad Ciuiles & Canonicas leges reſponſum illud, quod nempè in ſolos Hæreſiarchas vim haberent, nec Principum perſonas includerent, cum illarum contextu ſententiáque pugnare, quæ non autores modò damnarent, ſed eos etiam qui fauerent, adhærerent, eſſentque conſcij, ac eiſdem Principes, quibus priuatos, nulla dignitatis & conditionis ratione habita, pœnis ſubijceret, vt maius etiam ex illis periculum impendebat: Eo denique caſu, abſolutos ab omni obligatione ſubditos, ac fidelitatis ſacramento liberos cenſeri: nec quòd alia vnquam Regibus fuerit ad ſalutem via, quàm quæ priuatis eſſet, poſſe reperiri. Quæ lex ad Religionis Cath. Apoſt. & Roma. in hoc Regno conſeruationem pertineret, illam principem ac ſupremam eſse, quæ illius amplitudinis

C. abſolutos. De hæret. c. nos ſanctorum. 5. q. 6. l. quoniam. C. de hæret.

amplitudinis fundamenta iecifset, quæque illi ſplendoris plurimum præ omnibus Regnis attulifset: hinc effici, vt illi reliquæ leges quaſi inferiores concedant; maximè quòd hæc cum diuina æternaque lege perpetuo arctiſſimóque vinculo ſit cõiuncta, cæteræ verò humanæ ac temporales ſint, quas leuiori multò de cauſa in hoc etiam Statu mutari contigiſſet. Ad Religionis mutandę pericula eò maiorem in Gallijs illa timorem afferre, quò in eis autoritatis Regiæ maior eſſet veneratio; leuéſque ac nouitatis amantes Gallos facilè ſe in illam duci paſſuros, ſed præ cæteris aulicos, qui vt gratiâ valeant, Regis ſemper ac aulæ Religionem eſſent amplexuri. Quòd ad inuitationẽ attinebat, aut quòd ipſius mentem ſatis non eſſent aſſecuti, aut quòd ad ſua ſenſa exprimenda ſatis ſibi facultatis non fuiſſet, ſe eas repetiturum rationes, ob quas ad illam ſe dixiſſet nec poſſe, nec debere attendere. Imprimis ne à Sanctæ Sedis mandatis, & Suæ Sanctitatis Bullis recederent, quod vnum eſſet è ſuæ cauſæ firmamentis, alioqui id ſibi obiectum iri, quod illas reciperent aut repudiarent, vt è re ſua eſſe iudi-

carent. Ad hæc ne ſuum ſacramentum infringerent, ſi vllum cum Hæretico pactum aut congreſſum inirent, & ne vllum ad obedientiam illi præſtandam aditum patefacerent, ad quam rem ſæpius teſtati eſſent, nec poſſe ſe, nec velle aures adhibere, multas antè oblatas occaſiones, ſi quis eis vti voluiſſet, de conuerſione cogitandi, quæ eſſent neglectæ, tùm etiam cùm omnia ex voto ſuo cederent, & otij fuiſſe ſatis ad eas res agendas, quæ minoris, quàm animi ſalus, eſſent momenti. Poſtremis comitijs iam id eſſe concluſum, ne amplius eiuſmodi preces ac inuitationes adhiberentur, orare ſe vt crederent, nihil ſe egiſſe quò Marchionis Piſani Legationem, vel promouerent, vel etiam impedirent, nec vllum ea de re verbum in Reuerend. Lexouienſis Epiſcopi, & D. des Portes mandatis fuiſſe. Verùm Suam Sanctitatem, qui ipſius eſt in Dei gloriam zelus, & de ijs quæ Religionis cauſæ præiudicio eſſe poſſent ſolicitudo, ſua ſponte illam quam meminiſſent agendi viam tenuiſſe: quod illuſtre Catholicis exemplum eſſet, viuáque exhortatio, vt illud periculum attentè cum animis ſuis reputarẽt,

in quo ipſos verſari contingeret, dùm Hæreticis operam ſtudiúmque nauarent.

Hîc Archiepiſcopus Bituricenſis cum Collegis ſeceſſit, & cum eis vſque ad horam circiter tertiam permanſit; cúmque ad eundem locum redijſſent, ſic ait.

Varia quemque proferre exempla, & ſcripturæ autoritatẽ in ſuarum fidem opinionum adducere, eundémque in diuerſos ſenſus torquere: Eius verò intelligentiam inuocato Dei Spiritu haberi poſſe, qui petentibus daret, & veritatis cognitionem in eorum animis imprimeret. *Intellectum bonum dat petentibus eum.* Quòd videre eſſet in admittẽdis aut reijciendis Principibus, quo de argumento in pręſens ageretur. Etenim apertam eſſe IeſuChriſti & Apoſtolorum vocem, & perpetuam Chriſtianorum prædicationem, quòd Deus timendus eſset, Rex colendus, Deo quod ipſi deberetur, Cæſari, quod illius eſset, reddendum; omnem animam poteſtatibus à Deo conſtitutis debere eſse ſubiectam; alioquin id fore Dei voluntati repugnare, ordinem ac publicam tranquillitatẽ perturbare; rebelliones diuinã ſemper vltionem pœnámq; ſenſiſse, ærumnas

Arch. Bituricenſis ſermo.

Matth. 22. 1. Pet. 2. Rom. 13. Pro. 24. 1. Tim. 2. Tit. 3. 2. Pet. 10.

omnes ac calamitates, expertas eſse, alióſque eſse pleroſque locos, qui honorem, obedientiam ac reuerentiam in Reges, atque Magiſtratus, paganos licet & flagitioſos, commẽdarent, quos nimirum pro arbitrio Deus inſtitueret, atque vt populus de ſe meruiſset. Quam ob cauſam nolle ſe, in ijs locis ac exemplis, quæ allata eſsent, refutandis longius immorari, quæ ad ea, quæ expreſso Dei verbo mandarentur, peragenda, animi deliberationem impedire non poſsent. Quòd verò Summorum Pontificum iudicium ſibi autoritáſque erat obiecta, ſcopulum eſse, ad quẽ noluiſset accedere: quódq; ad ipſum quilo quebatur attinebat, Suæ Sãctitatis ſe, licet abſentis, cum omni tamen humilitate & reuerentia pedes oſculari; ſibi nihilominus eſse perſuaſum, Summos Pontifices iam à multis annis in Hiſpanorum eſse poteſtate: Et licet ſincera eſsẽt illorum rectáque conſilia, tamen adeò timidos eſse, adeóque Regis Hiſpani offenſionem metuere, vt illius de turbanda Gallia cupiditatibus ſe duci inuitos abripíque ſinerent. Id ex illorum circa Galliarũ negotia agendi rationibus perſpici poſse, & ex Bullis,

quas ipſi miſiſsent atque publicaſsent, eo qui neceſsarius habetur ordine formáque prætermiſſis, quò Hiſpanorum conſilijs obſecundarent. Non eam eſse Principum qui aberrarēt ad Eccleſiæ ſinum reducendorũ viam. Summos olim Pōtifices vltro de ijs Eccleſiæ conciliandis ſtudioſè laboraſſe, vt Anaſtaſiũ qui Iuſtino occurriſſet: Ioannem Conſtantinopolim vſque ad Iuſtinianum iuiſſe, quò eum ab Eutychetis errore reuocaret. Eiuſmodi ſeueritates ac rigores implacabiles, ad incendium tantùm toto orbe Chriſtiano excitandum valêre, Regnáque perdenda, vt noſtra ætate de Anglia Vngariáque accidiſſet: ſperare ſe Sanctam Sedem in eum ſtatum reſtituendam, vt mediatoris patríſque communis inter Chriſtianos partes Romanus Pontifex ſuſciperet, & beneuolentiam, qua hanc ſemper Coronam proſequutus eſſet, re factíſque oſtenderet.

Cæterùm Regem excelſi eſſe ac generoſi animi Principem, & in ætatis flore conſtitutum, qui poſset non tantùm hoc regnum adminiſtrare, illudq; ab externis defendere, ſed etiam ſui nominis terrorē vicinis inferre; & ſi huic prouiſum eſſet

incommodo, Eccleſiæ plurimùm in eo fore præſidij. Contra verò in Regis Hiſpaniarum ope ac promiſſis ſpem ponere, id eſſe parieti inclinato & maceriæ depulſæ incumbere, cùm iam eſſet ætate prouectus affectáque valetudine, qui in medijs tempeſtatibus eos eſset deſerturus, quos mari commiſiſſet. Atque vt ad Bullas ſpecialiùs reſponderet, aiebat ſignificatas fuiſſe nunquam, ſeque quod in earum nunquam veniſſet cognitionem poſse confirmare: huius etiam coronæ priuilegium in medium proferre poſſe, quod non ad Reges tantùm pertineret, vt anathemate feriri non poſſent, ſed in Regum quoque gratiam ad Principes pariter, eorum domeſticos, Regníque magiſtratus.

Quoad Anglorum Legati literas, de quibus facta eſſet mentio, poſſe illas à ſuæ Maieſtatis priuatis hoſtibus eſſe ſuppoſitas, atque vt rectis eorum ac ſinceris ſtudijs impingeretur calumnia, qui Dominum de Piſani miſiſſent.

Ad inuitationem rediit, aitque: hanc ipſorum fuiſſe mentem, non vt res protraheretur longiùs, ſed cumprimum petita eſſet, vt concederetur: *modò conſtat, mo-*

dò agatur: nolle tamen inſiſtere longiùs, cùm illos videret adeò ab hac via abhorrere. Ad eos qui citati erant locos, aliquid cœpit reſpõdere, aitque; Quòd ad Edonis ac Lobnæ exempla, exiguas fuiſſe defe-ctiones, paruiq; momenti. Generales verò totius Status commotiones non legi, cuiuſmodi Ieroboamo Duce eſſe poſſet, decẽ tribuum commotio, quæ probata nõ eſſet. fateri ſe aliquos fuiſſe in Græcia motus contra Imperatores Iconoclaſtas: ſed in contrariam partem longè plura exempla ſuppetere, ſcripturæ autoritati & ſanctorum patrum documentis conſentanea. Quòd de Ioramo adductum fuerat, in patrum monumentum non eſſe illatũ, id cum libri Regum contextu pugnare, librũq; proferri poſtulauit. Ad id Archiepiſcopus Lugdunenſis, non ſe illum locũ ſed Ioſephi, qui id teſtaretur, autoritatem protuliſse, reſpondit. Cúmque inſtitutum priùs ſermonẽ perſequi ſtatuiſſet, vt ad ea quæ ab Archiepiſcopo Bituricenſi dicta erant responderet, quæ vt vulgaria erant argumenta, ſic vulgaribus illa reſponſis ac hominum ſermone contritis, volebat refutare, à Domino Bituricenſi, aliíſque

interpellatus eſt: cùm dicerẽt ſatis eſſe diſputatum, deinceps aliquid eſſe concludẽdum. Nihilominus tamen huius ſermonis exitus grauiſſimæ inter eos qui aderãt diſputationi dedit initium, circa ea quæ de Regum obedientia dicta eſſent, de Summorum Pontificum autoritate atque poteſtate, de Eccleſiæ Gallicanæ immunitatibus ac priuilegiis, eo præſertim quo Reges, Principes, Regníque magiſtratus Anathemati non eſſe ſubiecti ferebantur: contráque nulla vnquam eiuſmodi data eſſe priuilegia, nec vllas de ijs Bullas exſtare, pugnabant. Martini quidem & Eugenij Pontificum Bullas, & Clementis, quæ proferebantur extrauagantes, nullam de illis mentionem facere: veteris nouæque Legis hiſtorias innumera propemodum exempla cõtinere Imperatorum Regúmque, qui extra fidelium communionem facti, ac de honoris gradu deiecti eſsẽt; qui etiam ſi Eccleſiæ filij eſsent, Eccleſiæ quoque diſciplinæ ſubiecti eſse deberẽt, ac eius ſupremum caput & generalem Paſtorem agnoſcere. Cęterùm cùm de Fide ageretur nihil, ipſo iuris ordine, loci eſse priuilegiis, quæ in Religionis gratiam, ſi qua eſſent

eſſent data, eſſe non ambigeretur: Hinc ad illa ventum eſt Turonenſium ac Catalaunenſium Senatuſconſulta, de quibus expoſtulabãt vnionis Delegati, quòd offenſionis ac ſcandali plurimũ toti orbi Chriſtiano ob eas quas continerent blaſphemias, peperiſſent: Non illam eſſe pietatem ac reuerentiam, quam veteres Franci Apoſtolicæ Sedi ſemper detuliſſent. Ad hæc reſponſum quorumdam fuit, id minimè nouum eſſe, ac inuſitatum, nec illa prima eſſe Senatuſconſulta, quæ in hunc modum exiiſſent. Alij id cauſſæ fuiſſe dicebãt quòd Summus Pontifex de Rege deligẽdo meminiſſet, quod aditum externis ad Regnũ inuadendum eſſet patefacere, ac in Regno ignem accendere quo illud deflagraret. Id denique Regis non placuiſſe Conſilio, D. de Bellieure confirmauit, literáſque D. de Reuol fuiſſe traditas, quibus illorum Senatuſconſultorum promulgationem impediret, quam tamẽ iam factam eſſe comperiſſet. Sed pares in Concilio Carnuti habito factas eſſe deliberationes, obiectum eſt, etſi magis quàm Turonenſes ac Catalaunenſes à contumeliis in Summum Pontificem, eius Legatos, Nuncióſque ſibi tem-

V

peraſſent. Et quoniam cùm mentio de Regis electione incidiſſet, id nonnulli riſu exceperant, cùm dicerent non Galliam eſſe, in qua de eligendis aut reiiciendis Regibus agendum eſſet; Reſponſum eſt id adeò nouum videri non debere; in leuiori longè, quàm Religionis negotio, id eſſe vſurpatũ, cùm in omnibus Chriſtiani orbis Regnis ſæpe, tum verò in Græcia ob hæreſim ſæpiſſimè: Et hãc fuiſſe cauſam, cur in Occidentem tranſiret imperium. Nominatim verò in Gallia exempla permulta ſuppetere, quæ in noſtris legi poſſent Annalibus, maximè verò in memoranda illa trium mutatione familiarũ quæ Regnum adminiſtraſſent. Magis autem id nouum fore ſi hæreticum Francorum Regem videremus agnoſci. Ad hæc illi contra retulerunt, illa Chilperici, Pipini, Ludouici, Carlomani, Odonis, Hugonis Capeti exẽpla, ab artificioſis quibuſdam conſiliis eſſe profecta, nec de Corona Francorum dubium eſſe cuiquam quin eſſet hereditaria. Enimuerò Delegatorum ait quidam, priuſquam nouus Rex fiat, opus erit conſilio, nec Rex in fugam ſe dederit vt locum electo concedat. Nec denique illum ani-

mus aut amici deficient, vt quod illi à Deo & natura tributum eſt, tueatur. Quorum ſermonum lõgiùs protracta eſſet contentio, niſi eos iam tardior hora præcidiſset, quod in cauſa fuit cur ad ſua ſe quiſque reciperent, vbi prius inter ſe ſalutaſsent.

SESSIO vj. DIE LVNAE, x. MAII.

QVæ ſuperioribus acta eſsent congreſsibus Archiepiſcopus Lugdunenſis manè retulit, cùm adeſsent Dux Meduanus, Cardinalis Pelleuæus Archiepiſcopus ac Dux Rhemenſis, Párque Frãciæ: Duces Guyſius, Aumalçus, Delbeuf; Oratores Ducum à Lotharingia & Mercuriẽſis, D.D. de la Chaſtre, & de Roſne Franciæ Mareſcalli, D. de Villars Admirallus, D. de Belin Pariſiorum gubernator, Marchio d'Vrfé, aliíque primarij viri, trium quoque ordinis Delegati, Senatus Pariſiẽſis, Rationum præfecti, ſupremum Cõſilium, omnes vnà congregati & in Regio Luparæ cubiculo ſuo quiſque ordine diſpoſiti: Dux quidem Meduanus ſub vmbella aurea, & ad latus illius Cardinalis, Principéſq; nominati in

Cathedris holoſerico coccineo auróque ſegmentato coopertis conſidentes,& ante ipſos, ad menſam,qui eiſdem Principibus, quíque Comitiorum cõuentui erant à Secretis; qui ordo deinceps ſeruatus eſt,quoties referri aliquid aut agi oportuit, quod alicuius eſset momenti.

Cùm igitur Archiepiſcopus Lugdunenſis narrandi finem feciſset, Delegatis actæ ſunt gratiæ,quòd operam præclarè nauaſſent, rogatíque vt eidem negotio inſiſterent,quod eodem die fecerunt, cúmque circa meridiem eodem perueniſsēt: Principum, virorúmque nobilium qui Regi Nauarræ adhærent Delegati, illis primo conſpectu dixerunt, hilariores ſolito vultus videri attuliſſe, quod in meliorē ſpem eos erigeret, faceréntque vt crederent conſilium aliquod oportunum adferre:illi verò cauſſæ ſatis ſibi eſſe retulerunt, cur hilari eſſent ac læto vultu, cùm ſuos Principes manè vidiſſent præclarè comparatos, arctiſſiméque coniunctos, qui nihil aliud niſi Religionis Catholicæ defenſionem, & huius Coronæ conſeruationem ſpectarent, quod etiam publicè in Comitiorum conuentu teſtati eſſent, ac eandem

ſe aleam vnà ſubituros; ſibíque mutuò in ſanctiſſima illa Cauſa affuturos, recepiſſent; quo nullum maius ſuæ Cauſæ firmamentum eſſe intelligerẽt. Sermones interea de huius Regni ſtatu inſtituti ſunt, dũ Comites D. de Schombert & de Belin, qui Pariſiis erant, venirent. Surenam etenim iam fama peruenerat, Hiſpaniarum Legatos, in eo qui manè futurus eſſet conuentu, coram Illuſtriſſimo Legato, Principibus atque Delegatis, quæ in mandatis haberent expoſituros. Atque vbi expectati Comites aduenerunt, omnéſque pariter ad agendum conſederunt, Archiepiſcopus Bituricenſis diſſeruit aperiendi pectoris tempus eſſe, & liberè quæ in eo laterent detegendi, verbis ſcilicet quæ animorum indices eſſent, teſtéſque volũtatum. Quãobrem cum ſeipſi aperuiſſent ſatis, orare Principum Delegatos, vt idẽ ipſi quoque facerent. Archiepiſcopus Lugdunenſis reſpondit ſuam ſe mentem ſatis perſpicuè interpretatos eſſe, vnum ſolúmq; ipſorum in hac Collatione Conſilium eſſe ac argumentum, vt Catholicorum inter ſe cõiunctis animis Religionem ſtabilirẽt, Statum conſeruarent, ac in priſtinum pietatis &

tranquillitatis locum reſtituerent. In omnibus denique ac vbîque ad Summi Pontificis ſe iudicium ac authoritatem conformarēt, quibus certum eſſet, numquam à pia, cum ſancta Sede, ſocietate diſcedere. Enimuerò, ait Archiepiſcopus Bituricenſis; Quid de Regis conuerſione dicitis? Numquid vt Catholicus fiat nobiſcum vultis conniti? Vtinam, ait Archiepiſcopus Lugdunenſis, verus eſſet piúſque Catholicus, & Summo Pontifici feciſſet ſatis: obedientiæ filij ſumus, & ſolam Religionis ſecuritatem Regníque tranquillitatem affectamus. Ne obſecro, inquit Archiepiſcopus Bituricenſis, tàm longum nobis iter proponite, tot intercedunt montes, tótque ad ſiſtendam nauim remoræ, vt hæc nimis prolixa nobis futura ſit via, nimiúmque periculoſa. Sed quoniam, ne pluribus ſua conſilia aperirent, ipſi ſtatuiſse videbantur; vt cum Collegis deliberandi ſibi facultas fieret, poſtulauit: quod vbi vnâ fecisſent, ſtatímque in eadem aula conueniſſent, reſpondit, ſe ampliores conſiliorũ declarationes viſum eſſe adferre non poſſe, niſi priùs cum iis qui miſerant contuliſſent, noctem ſe poſ-

cere, imò integrum diem, vt ea de re deliberarent : iterúmque cùm nimis breue ſpatiũ eſſe iudicaſſent, ad aliquot dies prorogari petierũt, quod eorum arbitrio permiſſum fuit, modò ne proximo die Mercurij conuenirẽt, quo neceſſaria illis interuentura erat occupatio. Hæc publica fuit in illum diem pro felici comitiorum exitu, & Regis verè Chriſtianiſsimi atque Catholici nominatione decreta Supplicatio, quæ quidem cum ſumma religione, pulcherrimis ceremoniis populíque frequentia habita eſt : cuíque Illuſtriſſimus Legatus adfuit, Reuerend. Lugdunenſis, Viterbienſis, Glaſcuenſis, Aquenſis Archiepiſcopi; Ambianenſis, Rhedonenſis, Regienſis, Syluanectenſis, Heduenſis, Abrincenſis, Sueſſionenſis, Venetenſis, Foroiulienſis, Epiſcopi: Reu. Prȩlati Montorius & Aguchius Illuſtriſsimi eiuſdẽ Legati Nepos, aliíque nobiles ac illuſtres viri permulti. Et Archiepiſcopi quidem ac Epiſcopi nominati ſacras thecas gerebant, in quibus Sanctorum Martyrum & Franciæ Apoſtolorum iacebant corpora, Dionyſij, Ruſtici ac Eleutheri: Epiſcopus autem Regienſis in Prouincia proce-

denti pompę præerat ritu Pontificio. Aderât quoque Principes, Coronæ Magiſtratus, aliíque inſignes viri: Senatus in veſte purpurea; quo ex ordine viri tredecim thecam illam ferebant humeris, in qua D. Ludouici Francorum Regis erant Reliquiæ: tum præfecti Rationum, Ædiles, vrbiſque conſilium, Clerus denique vniuerſus pulchro ordine ſummaque religione, qui alias pleraſque geſtabat pretioſas ſanctáſque Reliquias, Sanctam imprimis Crucem, quam quidam è D. Dionyſij cœnobio Religioſi nudis pedibus portabant ſub vmbella pretioſa, quam Nobiles nonnulli ſuſtinebant. Atque vbi ad almam D. Mariæ ædem pōpa peruenit, Illuſtriſsimus Card. Pelleuæus ſacris operatus eſt; cùm priùs elegantem doctámq; concionem D. Bocherius Doctor Theologus ad omnem cœtum populúmque habuiſset.

Cæterùm in illo Delegatorum cœtu D. à Rambouilleto abfuiſſe notatum eſt, qui nec deinceps adfuit. Induciarum quoque dies decem, qui circa Pariſiorum vrbem pacti erant, cùm effluxiſſent, in alios decem prorogati ſunt, literęque ad eos indicendos datę exierunt; verun-

Veruntamen quoniam nunciatum erat, cùm ſuperiori die Pariſienſis populus ad D. Mariæ à virtutibus, aliáque vicina loca veniſſet, D. de Vic, quibuſdam ad illos vſum eſſe verbis ac exhortationibus, quibus eos ad petendam pacem incitaret, atque vt ad D. Dionyſium irent, inuitaret, Archiepiſcopus Lugdunenſis ad illũ conuerſus, & quaſi ſubridens comiter humanitérque quòd in Archiepiſcopi Bituricenſis ſuámque adeò meſſem falcẽ immitteret, obiecit, quòd concionandi munus vſurparet; ille verò ſuſpicionem amolitus, mulierculis ſe tãtùm quibuſdam locutum eſſe ait, eáſq; adhortatum Deũ orarent, vt Galliæ quod opus eſſet concederet; quibus etiam, vt ad Sanctum Dionyſium venirent, conceſſiſſet. Cùm diſceſſus tempus inſtaret, in proximum Veneris diem congreſſus reiectus eſt, quò iterum de rebus acturi conuenirent.

SESSIO vij. DIEI LVNÆ, xvij. Maij.

CVM Regis Nauarræ fautorũ Delegati, ad præſcriptum Veneris diem adeſſe

nõ poſſent, ob ea quæ ſibi interueniſſe per literas ſignificaſsent negotia, in diem Lunæ congreſſus dilatus eſt. Atque interea vt Catholicæ plebis voluntates retardarent, quam vna ſoláque de Regis electione expectatio ſuſtentabat, cuius electionis apparatus multum eos, qui aduerſis ſtudebant partibus, commouebat: Inter alia quę adhibita fuerunt artificia, rumores ſparſi ſunt, quòd Nauarræ fautorũ Delegati pro Religionis ſecuritate albos, quos vocant, codicillos primo qui haberetur congreſſu eſſent allaturi, alióſque ſubobſcuros de Catholicorum, qui Regi Nauarræ adhærebant, ab hæreticis diſceſſione, rumores ſparſerunt: quod in cauſa fuit cur dicti Principum ac Comitiorum Delegati ad colloquium eo die cum magna animi præſentia & expectatione venirent, vt ea, quæ ab aliis adferrentur exciperent, qui prima fronte magnos ſe eo die progreſſus ſperare oſtenderunt: & quidem Archiepiſcopus Bituricenſis ea diſſeruit, & viua voce ſumma dicendi vi ac copia pronunciauit, quæ deinde finito colloquio ſi minus eiſdem verbis, at certè eadem ſententiâ in ſcripto ſunt tradita, ad eũ qui deinceps

dicetur modum;quod ſcriptũ ſic habuit.

Scriptum à Catholicis Regi Nauarræ adhærentibus.

Reuerendiſſimi Clariſſimíq; D. D. quid ſuperioribus colloquijs egiſſemus, quod ad illud argumentum attinet, cuius gratia inſtituta fuiſſent, ab eo die quo primùm conuenire cœpiſſemus in eum quo res ſtaret locum, ijs à nobis expoſitum eſt, quibus oportuit. Cenſuimus id per literas cõmodè ſatis agi non poſse, quorundam è noſtro numero vocem deſiderari, qui cum ea quæ eſsent acta retuliſsent, reſponderent etiam ad ea quæ obijci poſsent. Hanc prouinciam D. D. de Schombert & Reuol lubentes ſuſceperunt, quod vt facerent nos cõmuni conſilio precibúſque apud eos egeramus. longiùs, quàm voluiſsemus, eorum iter fuit: cum vos de ea re diutiùs ſuſpenſos tenere nollemus, cuius accelerationem ad totius regni ſalutem imprimis neceſsariam eſse iudicamus. Etenim ſi vna ex parte vrget malum, ex altera non minus ſentiri in omnibus Status partibus exiſtimamus; in quibus primum locum tenet Religio, quæ non minus ſuo in genere ex bello capit detrimenti, quàm reliquæ partes, quæ cum illa integram regni ſalutem ac conſeruationem conſtituunt. Domini

de Schōbert ægritudo, qua ille inter eundum afflictus eſt, necnon Cardinalis Borbonij abſentia, cum quo de ijs rebus communicandum fuit, quæ ad illum tantopere attinerent, vt de ijs ſuum iudicium ſententiámq; interponeret cum cæteris Principibus viríſque Illuſtribus, cum quibus, quid nobis in hoc munere agendo ſupereſset deliberare, illa ſunt quæ reſponſo, quod à nobis expectabatur, moram aliquã attulerunt. Verùm id cum minori erit diſpendio, ſi illam, quæ paulo longior fuit, expectationē, fœlix aliquis in rerum ſumma euentus compenſarit; quod nos cupimus, foréque ſperamus. Atque illud quidem imprimis vos celatos nolumus, quòd D. de Schombert & de Reuol ad nos retulerunt, ea verba quibus vos primos in agendo progreſsus veſtros clauſiſtis, aſperiora nonnihil & alieniora viſa eſse, perſpecta ea re cuius rei cauſa conuenimus, eóſque, quos hoc loco repræſentamus, aliquam prima fronte opinionem concepiſſe, minus veſtra ad hoc opus perficiendum parata eſse ſtudia quàm ipſorum eſsēt. Sed ſi quid ſeueritatis in verbis inuenerūt, nos ei lenimentum afferre meminimus, quod

ex alijs ſignificationibus collegiſsem, quibus oſtendiſtis vos nunquam ab eo quod perſequimur bono fore alienos: quod vtrique adeò neceſsarium eſse ſentimus, etſi non adeò expreſſæ fuerunt teſtificationes veſtræ, vt tantam eis, quantam vellent de hac re fiduciam, afferre poſsemus. Cæterùm omnium noſtrum communis ſcopus eſt, Religionis Statúſque cõſeruandi vias pariter inueſtigare: nos verò vobis antea ſignificauimus non aliam nos ſecundum Dei legem & antiquum perpetuúmque huius Regni morem Statúſque rationes agnoſcere, quàm in Regis perſona, qui ſucceſſionis iure ad Coronam vocatus ſit, in quod nulla cadit controuerſia, & quod nec vos cõtra inficiati eratis, ac ne nunc quidẽ inficiari credimus, neminem eſſe qui cum eo poſsit de iure contendere: vnam tantùm vos conditionem deſideratis, quam nos quoque vobiſcum expetimus, ad ſubditorum animos atque voluntates in vnum corpus Status ſub eius obedientia coniungendas. Id nos non tantùm optauimus pro noſtro in religionem Catholicam zelo officióque, verùm etiam perſpecto illius ingenio, in quo nullam vn-

quam pertinaciam cognouimus, ſperauimus ſemper Deum ei melioris conſilij auctorem fore, eíque hanc mentem immiſſurum, vt communia omnium Catholicorum vota ſequeretur. Si moræ longiores fuerunt, continua bella, quibus diſtentus eſt, æquiſsima facti ſunt excuſatio, neque tamē vana interea omnino & irrita in hac parte vota noſtra fuerunt. Eò vſque inclinatus eius animus eſt, vt illius rei velit inire rationes; ac eas rationes quarum ij, qui in ipſius ſubditis præcipui erāt, autores ei & ſuaſores fuerunt. Quo lòco Suæ Sanctitati honorem habere voluerūt, quem eius meretur dignitas, vt eius tū perſona tùm Pōtificatus ea fœlicitate inſignes ſint, qua maior prædeceſſorum nulli multis ſeculis contigerit; atque vt huius Regni cū Sancta Sede cæteríſque Catholicis Imperiis coniunctio ſalua ſemper integráq; teneatur, Legationem in hanc rem ad ſuam Sāctitatem miſſam nemo non nouit. Neque tamen nos latet alias eſſe ad eam rem vias, neque noſtra hac in parte à veſtris iudicia diſſenſerunt, ſed quoniam remedij à Sua Sanctitate expetiti, petitíque expectationem videmus eſſe longiorem, eamque ob

rem huius Regni ſaluti pernicioſam, cùm etiam neminem latere poſsint quæ ei vel à quibus afferuntur difficultates, quò longiora ſint mala noſtra, vt vix denique vlla arte curentur, qui de remedio extra regnũ quærendo Conſilium dederant, iidem ſuaſerunt vt quæ in ipſo Regno malis noſtris medendi facultas ineſſet, ea ad ſalutẽ vteremur, quoad Maieſtatis ſuæ conuerſionem. Vt nihilominus deliberatum fixúmque ſit honorem Suæ Sanctitati qui debeatur, ac ſubmiſſionem exhibere. Atq; vt ſua Maieſtas ad illud primum conſiliũ ſe duci paſſa erat, ſic alterum libens complexa eſt: decreuit enim idoneum Epiſcoporum ac aliorum Prælatorum & Doctorum Catholicorum numerum acterſere, à quibus erudiatur, & de omnibus quæ ad Religionem Catholicam ſpectant capitibus cumulatè doceatur. Cuius rei patentes literæ priúſquam D. D. de Schomberg & Reuol Mantis abirent, ſunt expeditæ. Statuit præterea Principum & aliorum huius Regni procerum Conuentum indicere, quo inſtructionis ſuę ac cõuerſionis actus cùm in Regno, tum apud omnes Chriſtianos populos celebrior ſit atque

teſtatior: ita quod nos antea de illa cõuerſione ſperare vobis oſtendimus, id nunc vobis audemus poſſumúſque confirmare; vt quod tam expreſsè ex ſuæ Maieſtatis declaratione didicimus, qua ſuam Principibus, Coronæ Magiſtratibus aliiſque qui ipſi adſunt illuſtribus Catholicis ſuam de hac re volũtatem patefecit, de qua nos illi per D. D. Schomberg & Reuol fecerunt certiores, vt nullus nobis iã ſuperſit dubitãdi locus; cùm id ſua Maieſtas decreuerit, non vt id factũ aut infectũ habitura, pro eo ac huius collationis exitus fuerit, ſed quia id bonum factũ & ſalutare eſse iudicauit; lætámur vehementer quod hunc vobis nunciũ adferre poſſimus, rati vos bonũ illũ proſperũmque interpretaturos, quantum ex veſtris animis conſiliiſq; perſpeximus; foréque confidimus, vt deinceps de pacis conditionibus rationibúſque agere nullo modo dubitetis, cum Religionis Catholicæ Statuſque ſecuritate, quem ad finem hic inſtitutus fuit datúſque congreſſus. Vt cum ſua Maieſtate nunc agatis, non vrgemus: tamen cum Principibus cæteriſque quos referimus illuſtribus Catholicis id vos, ſine religione poſſe ac debere facere

exiſtima-

exiſtimamus: alióqui fruſtra iis ad id inuitantibus annuiſſetis, fruſtráque ea vobis probata eſſet autoritas, qua nos illi pro ſe apud vos eſſe voluerũt, eius vobis exemplo tradito ac inſpecto: erit verò id, negotiũ vtiliter vrgere, & ad animorũ reconciliationẽ accedere, ad quam nobis veniendum eſt, niſi extraneos malimus noſtrarũ potiri facultatũ, quàm ipſi iis frui. Veruntamẽ ne in iis, quæ ad Regis perſonam attinent, magis quàm vultis implicemini, ea ſi videtur cautione vtemini, vt donec fiat Catholicus, nihil eorum quæ inter nos conuenerint ratum habeatur. Et ne belli negotijs illius interpelletur aut impediatur inſtructio, publicas duorum aut trium menſium inducias ſuę Maieſtati viſum eſt concedere, etſi eas ſciat plurimum rebus ſuis detrimenti allaturas. Quod nos exiſtimamus à vobis eò lubentiùs debere accipi, quòd ad cæteras vtilitates quas res illa attulerit, ſuas quiſq; poterit fruges tutò recondere, magnáque ad omnes felicitas perueniet, ſi pacem Deus conceſſerit, quæ nos collectis induciarum beneficio frugibus inſtructos inueniat: id quod non erit, niſi hic belli cladibus modus ſtatuatur.

Archiepiſcopus Lugdunẽſis ſe reſpondit exiſtimare non ingratum fore Collegis, ſi ſuo ac eorũ nomine diceret iucundam ſibi accidere Regis Nauarræ conuerſionem, & vt vera eſſet ac ſine ſimulatione optare; petere nihilominus vt ſibi per eos liceret, Collegas quid reſponſi dari vellent conſulere. quod vbi feciſſet & de re maturè deliberatum eſſet, placuit vt idem Archiepiſcopus quàm breuiſſimè reſponderet, ne quid ſcilicet quod Statuum deliberationi præiudicio eſſet, agi contingeret: ſe rem Pariſiis nunciaturum reciperet, déque ea cum Illuſtriſſimo Legato ac Principibus, Maieſtatis Catholicę Legatis, ac trium ordinum Delegatis acturum: quod inuidioſas ac maximi momenti propoſitiones eas eſse videret; interea nihil prohibere quin eiuſdem Archiepiſcopi Lugdunẽſis reſponſo congruenter teſtarentur iucũdum ſibi ac gratum de illa conuerſione nuncium accidere; vt pia ſanctáque eſset, non ficta & ſimulata percupere; vtque datis ſignificationibus ſignîſque, res factáque reſponderent. Atque vt intelligerent quid de illa opinionis eſse poſset, idem Archiepiſcopus patentes eis literas quæ in hære-

ſeos miniſtrorum gratiam datæ & in Comitiis pridie lectæ eſsent, exhiberet. Quod verò oſtenderant velle ſe deinceps ex ſcripto agere, in eo inſiſti placuit, vt quæ in eo congreſsu, ab initio in eum diem acta eſsent atque diſputata, ſcriptis mandarentur; quo rerum veritas manifeſtò conſtaret: Vtque ea de re conuenirent, ac duos in ea rem vtrîmque nominarent, neque antè ſcriptum vllum reciperent.

In cuius deliberationis ſententiam, Archiepiſcopus Lugdunenſis ea dexteritate reſpondit, vt & iis quorum nomine agebat ſatisfaceret, nec eorum animos qui melius aliquod, vt aiebant, reſponſum expectaſsent, offenderet: ſed quia hanc conuerſionem tàm altè inſonuiſsent, & ſecuritates quæ pro Religione Catholica offerebãtur, (neque enim Apoſtolicæ ac Romanæ mentionem vllam vnquam fecerũt) idem Archiepiſcopus ſolito vehementiùs relinquere ſe ait eorum iudicio, quæ in tãti momenti re ſecuritates ac conditiones poſsent adhiberi. Nolle ſe de his rationib' orationem inſtituere, quæ Principibus, vbi ſemel Principatum adepti fuerint, multæ ſuppeterent ad liberandam promiſso-

rum fidem, déque Status quæ hodie appellãtur propoſitionibus, quas iam ad hoc vſus recepiſset; Hiſtoriam Eccleſiaſticam nihil aliud eſse niſi euentuum in quos huiuſmodi promiſſiones euaſiſſent, narrationem, qui illis exemplo eſſe deberent, vt de iis verè certóque iudicarent. Veruntamen vt quid de huiuſmodi conuerſionibus, promiſſis, & ſecuritatibus ſperare poſſent, cognoſcerent, oſtenſuros ſe eis, quod à duobus diebus cum ſummo dolore ſcandalóque accepiſſent; Patentes ſcilicet literas quæ à Rege Nauaræ exiiſſent, quæ cẽtum ac viginti millium Coronatorum aſſignationem, in Miniſtrorum, ac Scholaſticorum in Theologia qui in illorum ſufficerent locum, penſionem; totámque rei deſcriptionem continerent. Mirari ſe quonammodo abominanda illa flagitia ferre poſſent qui Catholici ſunt, ac eorum ſine horrore ac diuinæ vindictæ terrore, conſcij eſſe: id non ad Regnum modò Galliarum, ſed totum étiam orbem Chriſtianum, hæreſeos lue inficiendum futurum ſatis, ad infinitatum perniciem animarum. Cúmque ex iis nonnulli dicerent, non eſſe iis literis adhibendam

fidem, & ad eam rem cauſas prætexerent: obiectum eſt non exſcriptum id eſſe vel fictum aliquid, ipſarum prototypum literarum in comitiis viſum lectúmque eſſe, maiori ſigillo ab eo Cancellario qui ſe Catholicum diceret obſignatum;ab eo etiam qui à ſecretis eſſet, quíque non minus ſe Catholicum diceret, *Potier*, ſubſcriptum ac ſignatum, *Sublet*. Quod denique ad illud Conſilij deliberatio acceſsiſſet, atteſtatum:id eſſe ſuæ Religionis nimium citò obliuiſci : id Franciæ ſigillum liliáque ab hæreſeos labe integra profanare, iis abuti ad pretioſum Fidei noſtræ Patrimonium ſuis hoſtibus prædæ exponendum, & prodendum Miniſtrorum cupiditati Eccleſiæ Dominium : ſummum dedecus Regum noſtrorum imaginibus hoc eſſe inurere, quæ in eo ſigillo inſculptæ eſſent, Sceptrũ manu geſtantes vt ad Hæreſes diſsipandas fulmen ac tonitru, hoc ad illas promouẽdas ac ſtabiliendas,Eccleſiam verò Catholicam perdendam conuertere. Quod ad ſe attinet,ſe quidem ita ſentire, millies mortem oppetere ſatius eſſe Catholico,quàm Religionem in hunc modum proſtituere, tantíſque animum adeóque impiis facino-

ribus obſtringere; non eſſe commiſſuros Hæreticos, vt quid ſimile in noſtræ cauſæ fauorem admittāt. Qua de re cùm omnes inter ſecontuliſſent, Archiepiſcopus Bituricenſis, vt ſibi dicendi poteſtas fieret poſtulauit: velle enim rei ordinem quo geſta eſſet omnem recenſere. Eos quidem qui de Religione eſſent (quo audito verbo D. du Laurens aſſurrexit, & ad eundem Archiepiſcopum Bituricenſem cōuerſus, Amabo, inquit, adde prætēſam: Religionis enim niſi quid addas nō meretur nomen) apud Regem multū inſtitiſſe, vt eiuſmodi aſſignationes ac prouentus annueret, eáq; de re in ſupremo actum eſſe Conſilio: ſed D. de Reuol, aliiſque compluribus notū eſſe, nec Cardinalem Borbonium, nec ipſum qui diceret, id fieri paſſos eſſe; Regēque quanto id ipſius rebus præiudicio futurum eſſet docuiſſe; atque ita ne id concederetur concluſum eſſe; neque quid deinde actum eſſet ſe ſcire; Patentéſq; illas anno 1591. datas eſſe exiſtimaret. Atque cùm obiectū eſſet alias quoque huius anni extare, quæ ſubſcriptæ quidem eſſent, ſed nondū obſignatæ, id omnes teſtatos eſſe ſibi non poſſe probari, imò graue ac mo-

leſtum accidere;eámque ob rem viſum eſt omnibus ei rei protinus in commune eſſe conſulendum, ne in eadem vel ijs etiam grauiora Religionis pericula veniretur. Rogare Delegatos qui à Principibus adeſſent,darēt operam vt de ijs quę in medium protuliſſent cōſiliis, in publico Pariſiorum conuentu attentè deliberaretur. Actum etiam eſt eodem die de quibuſdam contra induciarum articulos vtrinque perpetratis, de quibus à D.D.de Belin & de Vic diſceptatum eſt, cúmque ad diſceſſum ſeſe compararent, ſcriptum illud cuius exemplum ſupra poſitum eſt,D.de Reuol Delegatorum vni dedit in manum, vt id conuentui communicaret, quod receptum fuit eò maximè, quòd iis qui Pariſijs eò venerant plura iam eodem die illius exempla eſſent tradita.

Die Iouis 20.Maij. Archiepiſcopus Lugdunēſis quid ſuperiori congreſſu geſtum eſſet,in eundem morem,ac coram eiſdem, quibus ſuperioris acta collationis expoſuit: tùm illud quod traditum erat ſcriptū recitauit, atque inter legendum quibuſdam locis inſtitit,quò conuētui res vt actę eſſent aperiret, præſertim in ijs verbis refe-

rendis, quæ illi acerbiora fuiſſe dixiſſent, quibus ſcilicet Delegati, nec Hæreticum Regem velle, nec agnoſcere teſtati eſſent, nec vlla ad Regem Nauarræ prece, ac inuitatione vti velle, vt Catholicus fieret. Quòd verò illi ſibi quiddam aſſenſum eſſe dicerent, id nimirum erat, potuiſſe eum ſi licuiſſet in Fide erudiri, cùm nec Prælati ei nec Doctores defuiſſent. His addidit quorundam de ſe querelas audiuiſſe, qui dicerent hos Congreſſum fructus peperiſſe, in eum res quo eſſent locum adduxiſſe: verum non eò rem, neque in congreſſum cõferri oportere, in quo nihil niſi de Conuentus conſilio ſententiáque actum eſſet; ſed Regem Nauarræ, quod facilè perſpici poſſet, hæc promiſſa & hanc declarationẽ edidiſse, quò ſuarum partium Catholicos retineret, à quibus ne deſereretur timeret; vt etiam ſecretas diſsenſiones prohiberet, quæ obſcurè creſcerent, & inſignem aliquem euentum ac mutationem eſsent parituræ; quam nec erat prætermiſsurus, etſi nullus vnquam Congreſsus extitiſset, cùm non eſset neſcius, quantum hoc facere ſua intereſset: quod ſanè plus incommodi rebus ac præiudicij attuliſset, ſi nullo dato

reſponſo vel re ab ipſis, non ſatis delibera-ta, id egiſset: rem accuratiùs expendendam; de ea denique conſultandum, non querelis eſse indulgẽdum. Quo loco ſuſcipiens Dux Meduanus, Archiepiſcopum Lugdunenſem eiúſque collegas, ait, nihil egiſse, niſi quod à viris, eo quod ipſis impoſitum eſset munere digniſſimis poſset expectari, magnámq; eis ab omnibus deberi gratiam: remedium huic rei adhibendum eſse, & de idoneo prout rei magnitudo poſtularet reſponſo conſultãdum: vniuerſum ſe conuentum obteſtari, vt hac de re etiam etiámque cogitaret, acturum ſe de ea cum Principibus, Senatu, ſuóque ſupremo Conſilio, ac diem quo aliquid de reſponſo acturi conuenirent indicturum.

Atque vt in grauioribus magiſque arduis rebus, recta conſilia magis cenſentur eſse neceſsaria: Ita in hac quę incidiſſet, multum prudentiæ ſolertiæque viſum eſt deſiderari. Quidam cum longè animo proſpicerent, quò illa ſpectaret propoſitio, ſoluẽdum eſse inſtitutum colloquium cenſebant vt infructuoſum: neque Catholicos, qui à Regis Nauarræ eſsent partibus aliò videri tendere, niſi vt illum quacun-

que tandem ratione Regem facerent: facilè ex rerũ euentu perſpici, quicquid vtriſque arcani conſilij eſset; lucis filios, humana ſemper prudentia, quæ ad promouendam Dei cauſam nunquam idoneum fuiſset inſtrumentum, ſuperari. Viſum eſt nihilominus nimis ex eorum re fore qui illam edidiſsent propoſitionem, ſi nullum ad eam reſponſum exijſset, præſertim cùm eo loco ſtatúque res eſsent vt id conſilium capi non poſset, quò etiam aliæ maximæque rationes accedebant, quas vanas ac inutiles non fuiſse, ipſe deinde rerum euentus comprobauit. Primum caput quod de oblata conuerſione fuit, nonnulli non reijciebant, qui hanc magis compendioſam ad noſtras finiendas ærumnas ac ſtabiliendam Religionem viam eſse exiſtimabant, ſi Religio tuto eſse loco poſset. Sed plures contrà, ac imprimis Eccleſiaſtici, id ſimulationis ac fictionis valde ſuſpectum habebant; & hanc cõuerſionem magis ex Status, quàm ex Religionis rationibus inſtructam eſse; plus artis habere quàm pietatis, minùs ad animæ inſtitutionem, quàm ad Religionis Statúſque euerſionem, pertinere, minúſque ad promerendam in cœlo

Ierem. 13. ſi mutare poterit Æthiops pellem ſuam.

Coronam quàm in terra conſtituendam pertinere. Id quidem valde eſſe optabile, vt tàm præclara cerneretur mutatio, indéque ſumeretur remedium, vnde malum emanaſset. Sed inueteratum hunc morbũ non tam facilè curari poſse ſine rara ac extraordinaria Dei gratia, ac miraculo eiuſdem ſingulari. *Facilis deſcenſus Auerni, Sed reuocare gradum, &c.* Quòd etiam repentinam Metamorphoſim illam magis ſtupendam reddebat, cùm nulla quibus Dei id opus eſſe conſtaret ſigna præceſſiſsent, nulláque animi vel in moribus, vel in Fide præparatio, cùm is ſemper qui conuerſus diceretur in hæreſi perſeueraret. Illud etiã ſimulationis augebat opinionẽ, quòd iſta conuerſio nõ à proprio motu conſilióque procedere videbatur, ſed hominũ importunis precibus, vt vicinis Catholicis Principibus ſatisfieret, Catholicis, qui ei adeſſent animus accederet, quorũ bona, pars ad ſuorum ſecuritatem amicorum, vnam tãtum miſsam de cæteris parũ ſolicita poſtularet: vt deniq; ſacrã Vnionẽ diſſiparet, & eà arte, quò vi nõ potuit perueniret. Ad hæc notabatur illam non ab initio factam eſſe propoſitionem, ſed vbi duæ aliæ ab iis

Et Pardo yangnaces ſuſi, ut vnu poteſtas bene facere, cum diduceritis male. Epiphanius in Apiniatis, fidei peruerſitas pene incorrigibilis & ægre ſanatur, niſi donum & gratia aliqua ex ſuperis acceſſerit.

Clemens lib. 3 recog. rogatus vt Simonem Magum conuerteret, reſpondit, ſi boni mores ſunt, facilè erit eum conuertere: at ſi &c. de Helena eius intelligens.

Hier. ad Pammac. miſerabilis Prætextatus deſignatus Conſul eſt mortuus, homo ſacrilegus

& idolorum cultor, ſolebat ludens beato Papæ Damaſo dicere, Facite me Romanæ urbis Epiſcopũ, & ero protinus Chriſtianus.

lõgè diuerſæ præceſſiſſent, vna quòd Regẽ Nauarræ qualis tùm eſſet oporteret agnoſcere; altera vt Catholicus eſſe vellet inuitari oportere, tum ſubitò & quaſi ſaltu vno conuerſum proponere. Coniecturas illas toto præteritarum actionum curſu confirmari, ipſâ hæreſeos naturâ (quæ in perfidiæ poſſeſsionem venerit, & à qua fraus, fictióque diuelli non poſsit) præceptis Eccleſiæ, antiquitatis exemplis, omnium denique ſeculorum experimentis: hoc eſſe belli ſtrategema ad vincendum hoſtem comparatum, ſi veſtem illius ac colorem indueris, vt per medios hoſtium cuneos ſubire poſsis incognitus. Receptum id eſſe iampridem vſúque contritum, Regna vt poſsis comparari, vt velis gubernari. Anaſtaſiorum, Baſiliſcorum, Iulianorum non eſſe repetenda exempla: in Angliam oculos tantùm conuertendos eſſe, quidque in ea Ioannes, Henricus octauus & iſta Ieſabel egiſſent intuendum: è quibus hæc, vt eam quam nunc exercet Tyrannidem ſtabiliret, duos totos annos ſimulaſſet: alienum videri non debere, *Si hæc nos veſtigia terrerent.* Hac nullam Eccleſię magis peſtiferam, magíſque periculoſam perſecu-

Beda in Cãt. Plus nocet falſus Catholicus, quàm verus hæreticus.

tionem poſſe contingere. Nihilominus id tandem placuit vt hæc cõuerſio Suæ San-ctitatis iudicio relinqueretur, & ad Sanctã Sedem omnis de illa quæſtio referretur, vt ad portum atque perfugium, vbi naufragium facere non poſſet Religio: atque vt optimus ille Franciæ Abbas dicebat, *Oportet ad Veſtrum referri Apoſtolatum, pericula quæque emergentia in Regno Dei: dignũ ibi potiſsimum reſarciri damna Fidei, vbi non poterat Fides ſentire defectum: hæc quippe erat huius prærogatiua Sedis.* Quòd ſi ſinceritatis in ea eſset aliquid, id eum latere non poſse qui Sacro-ſancti Spiritus numine agere-tur. Contrà verò ſi aliquid ineſset menda-cij, ſi quid gypſi vel ceruſæ, ad illius Fidei Solis aſpectum liquefactum iri, qui ſemper ardeat, nullique ſit obnoxius defectioni, nullis denique Hæreſeos tenebris, aut fictionis velis poſsit obſcurari: quod Lotharij, Nicolao primo Pontifice, & aliorum plerorumque conſtet exemplis. De ſecundo etiam capite difficultates plurimę variæque opiniones extiterunt: nonnullis viſum eſt de Religionis ſecuritate agendi conditionem admitti oportere, eámque certiſsimam fore de conuerſionis veritate

Bern. Epiſt. 190.

Cyp. Perfidia non poteſt habere acceſſum ad Cathedrã Petri. Hieron. ad Damaſ.

Romana Eccleſia contra fidem praſtigias non recipit, nullam hæreſim fouit. ſemper immaculata permanſit.

aut ſimulatione iudicandi viam: Etenim ſi ea eſset quæ ferebatur, ſi Spiritusſancti illuſtrabatur radiis, flammas ex ea igniculoſque prodituros: ſi lapſo cælitus igne arderet, cum quicquid in illo ineſſet vitij conſumpturum; ardorem in eo fore quicquid vitæ ſupereſſet pro Dei gloria exponendi, ſuo ſanguine Vnionis Catholicorum edictum obſignandi, extirpandæ aut profligandæ hæreſeos, cui tantùm abeſt vt gratiam habiturus eſſet, quod ſuis ipſum iuuiſſet opibus, vt etiam tumultus omnis ac ruinæ huius florentiſſimi Status, ac horrendæ, in quam redactus ſit, perturbationis cauſam, in eam conferret: alioqui iuſtam fore metuendi cauſam, ne hæc eſſet ficta pietas, neve cum his fidem verbo obſtrinxiſſet, aliis addictam & oppigneratam voluntatem retineret, donec reditus & mutationis occaſio ſeſe obtuliſſet: quo tempore ſera foret admiſſi peccati pœnitẽtia, ac eius peccati, quo nullum grauius vnquam exiſteret. Vicit tamen contraria opinio, cum eo qui ab Eccleſia excitus eſſet, excõmunicatus, atque damnatus, ne omninò ageretur; quippe qui Vnioni redditus, abſolutus, aut reconciliatus haberi nõ

poſſet, niſi poſtquam Eccleſiæ caput ac Princeps ita iudicaſset: ni ſic fieret, Spiritus ſancti decreto allatum iri prçiudiciũ, & obedientiæ patefactum iri aditum, quæ nihil cum reditu haberet affinitatis, non magis quàm ſpiritales animorum cruciatus, cum iis quç ad corpora ſpectant ſuppliciis. Cum certò certius ſit, ſalutis ſemper apertum iri ianuam, atque peccatores nõn *ſeptuagies* tantùm *ſepties*, ſed quoties ad Eccleſiam reuerti vellent admiſsum iri: quæ apertum omnibus gremiũ ſinumque oſtẽdit, neque dubium eſse poſse, quin ſuâ Sanctitas cùm vnius hominis ſummo cum gaudio ſalutem exciperet, ſapienter interea, quocumque ille honore emineret, infinitæ animarum multitudinis ſaluti conſuleret, quarum illi vt ſupremo vniuerſæ Eccleſiæ Paſtori cura incumberet. Quoad poſtremum de induciis caput, quod valde pro rerum qui tùm eſſet ſtatu ſuſpicioſum & blandi periculi plenum videbatur, placuit non antè de eo agere quàm de ſuperioribus reſponſum eſſet. Quare tandem rebus omnibus maturè expenſis ac deliberatis, vt multi in eo Conuentu aderant inſignes viri, abundanti pietate ac doctri-

C. ad abolendam c. Vergentis c. Excommunicamus, de haret. c. Secundum leges. eod. in VI.

Iuo Carn. Epiſt. 49. Notum facio ſanctitati veſtra, quòd Francorum Rex Romam ſe in proximo venturum dicit, quod tamen non credimus, ſed ſeu veniat, ſeu mittat, cauete & vobis & nobis, vt ſemper clauibus & catenis Petri fortiter teneatur: & ſi fortè abſolutus fuerit, & ad vomitum, ſicut iam contigit, reuerſus fuerit, è veſtigio iiſdẽ clauibus recludatur, iiſdem catenis religetur. Eſt & alius locus elegantiſs. Epiſt. 28. & ſeq.

na præditi, & ad Illuſtriſſimorum Principum eorúmque Conſilij iudicium arbitriúmque reiectis, die Mercurij, qui fuit ſecundus dies Iunij, de reſponſo ita concluſum eſt. Vti de Regis Nauarræ conuerſione apud Suam Sanctitatem agerent, ad quam de abſoluendo, & in Eccleſiæ gremium recipiendo, negotium ſpectaret. De Religionis ſecuritatibus, niſi expedito priori capite, non poſſe tractari. Quòd denique ad inducias, tùm de iis reſponſum iri cùm ſuam de ſuperioribus articulis mentem explicaſſent. Deputatos interea qui Surenæ manebant, morarum ac prorogationum tædebat, qui tempus de induſtria duci dum ſuppetiæ venirent querebantur, & de ſua diſceſsione, colloquióque ſoluendo rumores ſpargebant, qui tamen oppido Sancti Dionyſij non longiùs abierant, vbi de reſponſo poſtridie reddendo certiores facti ſunt, rogatíque vt inter Pariſios Sanctúmque Dionyſium quo vellent loco adeſsent, quod illi fecerunt.

SESSIO viij. DIEI SABBATI v. Iunij.

HIC congreſsus in Roquetta habitus fuit, quæ villa eſt non procul à S. Antonij porta poſita, ad quam cùm vtrinque Delegati conueniſsent, Archiepiſcopus Lugdunenſis ab ea, quæ in reſponſo dando tracta eſset mora, ſermonem exorſus eſt, orans nè in deteriorem partem acciperent néve in opinionē, quòd arte, malóve animo id factum eſset, venirent: verùm tanti eſse momenti negotium, vt neceſse fuerit, quod ipſi ſcirent, communicare cum multis, cum amicis etiam, quorum animos offendere, aut vllo modo à ſe diſtrahere nollent. Adde, quod ipſius nota omnibus ægritudo, moræ cauſa ex parte extitiſset. Reſponſum cuius ferendi mandatum accepiſset, id eſse, Regis Nauarræ conuerſionem, vera vt eſset ac ſine fictione deſiderari. Illud tamen ſe liberè dicturum, tantùm abeſse vt eiuſmodi futura putaretur, vt cōtrà quòd ficta eſset atque ſimulata, multa eis argumenta ſuaderent. Etenim ſi è ſincero animo prodiiſset, tot moras tót-

que dilationes non fuiſse quæſiturum ; ſi quo Spiritus Sancti impulſu ageretur, in hæreſi non fuiſſe remanſurum, non ei publicè daturum operam, non Miniſtris aures patefacturum ; damnaturum publicè errorem ſuum ac deteſtaturum, Miniſtros longè à ſe relegaturum, dignos denique pœnitentiæ fructus acturum. Primum ad Dei gratiam, ac Fidei donum, gradum eſſe remittere peccato nuntium, errorémque
Pſal. 33. deſerere; *Declina à malo, & fac bonum, &c.* Qui Chriſtiani initio fierent, quòd tandiu procraſtinarent non legi, quódque interea Idolis immolarent, verùm quòd vt primùm inſpirati eſſent diuinitus, ſuperſtitiones abiurarent. Teſtis Eunuchus ille
Act. 8. quē S. Philippus cùm offendiſſet in via, cōuertit, qui vt primum perſuaſus credidiſſet, è curru ſubitò deſcēdiſſet, atque in primo qui occurriſſet riuo baptizari voluiſſet. D. Paulum cùm à Deo vocatus eſſet, di-
Act. 9. xiſſe ſubitò, *Domine quid me vis facere?* rem in ſex menſes nequaquam diſtuliſſe. Sed neque id hominum opus eſt, certum quo Catholicus fias tempus definire, ſingulare id eſſe Dei donum, ardentem hanc eſſe lampadem, quæ nō niſi immiſſo cœli-

tus igne accenderetur : quæ diuinitus inſpirata eſſet voluntas, eam momento operari, non autem dilationes aucupari. Ipſorum tamen non eſſe, hanc vt probarent vel improbarent conuerſionem, ſed integrùm Suæ Sanctitati de illa iudicium relinquere, ad cuius tantum authoritatem ſpectaret ei negotio prouidere, illúmque in Eccleſiæ, ſi videretur, ſinum recipere.

Quod autem ad pacis conditiones ac Religionis ſecuritates; de iis ſe multas ob cauſas agere non poſse. Id enim fore cum ipſo Nauarræ Rege agere, qui ab Eccleſia extorris eſset, quémque ei reconciliatum cenſere antè non poſſent, quàm Suæ Sanctitatis voluntatem cognouiſſent. Quòd ſi vt eum inuitarent, ob eas quæ allatæ eſſent rationes, nõ potuiſſent adduci, multo minùs adductum iri, vt de iis rebus agerent, quæ ad eum agnoſcendum directè vel indirectè viam munirent; Sanctitatis ſuę iudicium id fore præuertere, ad quam decreuiſsent in hac ſe cauſa conformare, in qua ageretur Religio: quin etiamſi de propoſitis ſecuritatibus agendum foret, niſi de Suæ Sanctitatis conſilio non eſse acturos. Quòd denique ad inducias, vbi ſuam

de prioribus capitibus mentem expreſſiſſent, ſe reſponſum daturos.

Archiepiſcopus Bituricenſis Collegis in conſilium priùs adhibitis, cùm omnes deinde vnà conueniſsent, propenſum Pariſiis Delegatorum in huius Regni vtilitatem animum ſe ait perſpectum habere, voluptatem quam de Regis conuerſione caperent agnoſcere, ex qua nimirum communis Regni ſalus penderet, eáque ſola éſset pacis in eo ſtabiliẽdæ ratio: hæc eſse vota, hæc deſideria, has preces piorum omnium veréque Francorũ, eóque omnes qui Eccleſiæ dignitatẽ ac propagationem cuperent, ſpectare debere, ſibíque perſuadere inſigne hoc ac memorandum conuerſi Regis exemplum multos ad imitationem prouocaturum, viámque ad tollendas hęreſes, ſchiſmata, & qui in regno eſſent tumultus, muniturum.

Certiores ſe illos fecisſe, id Regem breui acturum eſse, eáque celebritate, vt ſincerum illius ſtudium atque voluntatem totus Orbis Chriſtianus cognoſceret: verùm illuſtriora ſe in præſenti eius rei argumenta proferre poſse, cùm ex quo poſtremò cõueniſsent, literas ac mãdata ad præ-

latos, alióſque illuſtriores Regni viros, iteratò mitti vidiſsent, tum vt quo indixerat die frequentes adeſsent, tum ob ſummum quo teneretur deſiderium, vt quod promiſiſset, exolueret: illum quòd recepiſset perfecturum, qui apertus Princeps miniméque ſimulatus eſset, qui denique promiſſurus non erat, ſi voluntas defuiſſet.

Quod dixiſsent non multum ſe cauſæ habere, cur eius promiſsis crederent, qui adeò contraria illis effecta perſpicerent, orare ſe vt illud cogitarent, Maieſtati ſuæ cum multis hominibus rem eſse, quibus ſatisfactũ ſi fieri poſset cuperet, tam in Regno quàm foris, amicis atque fœderatis: ad hæc in rem tanti momenti nolle illum vi adigi aut pręcipitem ferri, ſed doceri velle ac inſtitui, atq; vbi reru m cauſsas ac momenta didiciſset, ſuam publicè ac ſolemni ritu declarationem edere, alioqui vt miraculoſa ac extraordinaria conuerſione impulſus eſset oportere, vt Paulus fuiſset, cæteríque illi quorum meminiſsent: æquum eſse vt in tam ſolemni actu, cuiuſmodi eſset Regis conuerſio, alius honos haberetur, aliæque adhiberentur

cæremoniæ, quàm quę in priuatorum conuerſione conſueuiſsent.

Quòd ſi nondum illius impulſus effectus oſtenderet, quo eius animus ageretur, & cognitionis illius quam de Religione Catholica eſſet conſecutus, id nec nouum eſſe, nec exemplo carere: Etenim de Imperatore Conſtantino apud Nicephorum, Euſebium, ac Tripartitam Hiſtoriam legi, publicam Fidei profeſſionē diu diſtuliſſe, etiam Idolis ſacrificaſſe, vt cùm Vienna quæ Delphinatus ciuitas eſt, die Pentecoſtes tranſiret, vbi publicè Idolis etſi apud ſe & ſecretò eſſet Catholicus, ſacrificaſſet. Gregorium quoque Turonenſem de Clodoueo primo apud nos Rege Chriſtiano ſcribere, diu poſtquam in noſtræ Fidei cognitionem veniſſet publicam eius declarationem protraxiſſe. *In mora modici temporis non fit præiudicium.* Ad modicum tempus id fieri, in apertum breui prodituros effectus, & quoquomodo fieret, fixum tamen id illi eſſe in animo: ſcire ſe non omnibus id gratum fore: cæterum quibus moleſtum eſſet, hi digitis ſibi ſcalperent atque confricarent caput.

Hoc de Iuliano ſcribit Amm. Marc. at de Conſt. non legitur.

Cæterum ſibi certum eſse cum Sua

Sanctitate agere, illique vt omni ratione ſatisfiat, percupere, omnem ſubmiſſionem reuerentiámque exhibere velle, eamque præſtare obedientiam quam Chriſtiani Principes ſolerent, quámque ipſius prædeceſsores exhibuiſsent, ampliorem etiam ſi oporteret, cùm ſecuram ea de re Suam Sanctitatem reddere, non eſſet neſcius quantùm intereſſet, ob eam quam fortè concepiſset ex præteritis ſuis actionibus opinionem, ac de futuris ſuſpicionem. De iis verò quæ ad Statum pertinerent, ſi Sua Sanctitas vllo modo cognoſceret, ob coniunctionem, quæ inter cenſuras & habilitatis ad Regnum aut inhabilitatis declarationem intercederet: ſe illos nimis veros Francos exiſtimare, vt iis ſe rebus extraneos implicare poſſe prætenderent, qui Regni iura legéſque, & Eccleſiæ Gallicanæ libertates cognoſcerẽt: ipſos etiam extraneos, qui non minorem de ſua ſupremi Status autoritate zelum oſtenderẽt, pati nolle vt Summi Pontifices de iis quæ ad ſuum temporale dominium attinerẽt, vllam omninò quæſtionem exercerent: repetenda longiùs non eſse exempla: Hiſpaniæ Regem qui tam Catholicus eſset,

non tuliſſe, vt Summus Pōtifex aut Legati quos in Portugalliam miſiſſet, illius Regni rebus ſe immiſcerēt; non eò ſe dicere quòd Regis Hiſpaniæ vellet niſi cum honore meminiſſe; Magnū eſſe Principem, adeóque magnum, vt nihil illi ad ſuam in Occidente Monarchiam, præter afflictam hanc Coronam deeſſet, quam ſpe iam ac opinione deuoraſſet: Verùm ſi aduerſarius eis atq; contrarius in pręſenti eſſet, amicū, fratrem ac ſocium fieri poſſe, qualem ſua ætate fuiſſe meminiſſent.

Quoad ea quæ cauſabantur ne pacis rationes inirent, aut de Religionis conſeruandæ ſecuritate agerent, orare vt veniā darent, ſi liberè ingenuéque diceret, nullū ſe nec videre nec ſcire religioſum ſcrupulum, nullámque rationem, quæ eos ab ea re poſſet auertere: Nam cùm Rex ſtatuiſſet, ſuamque fidem obſtrinxiſſet quòd eſſet futurus Catholicus, quò ſe vt illi viderent compararet, multùm id fore promouere, ſi id tempus quod ante Regium Conuētum intercederet, in ea re tractanda bonóque huius negociationis per Regnum odore ſpargēdo, & otij alicuius ſpe afferenda collocarent, eo præſertim quòd non

non cum Rege acturi erant, ſed cum ipſis qui Catholici eſsent, & à Catholicis Principibus miſſi, quíque non minùs ſe quàm illi obſtrictos eſse iudicarent ad affectandam procurandámque Religionis ſecuritatem. Quòd ſi aliquis reſtaret ſcrupulus ob eas quas attuliſsēt cauſas, Illuſtriſsimũ Legatum hac eos religione poſse liberare, ne tam boni operis progreſsui mora adferretur. Præterea ſemper ſe eſse teſtatos irritum ac nullius momenti ac ponderis quicquid actum eſset fore, niſi Rex promiſsis ſtetiſset. Denique ſibi videri nihil opus fuiſse in hoc venire colloquium, niſi has amplecti rationes conſiliáque ſtatuiſsent.

Quoad inducias, incommodi eas plurimum Regis rebus adlaturas, illas ſe nihilominus procuraſſe, vt faciliores pacis ac ſecuritatis procurandæ vias efficerent, ſuámque de populo ſubleuando propenſam voluntatem oſtenderent; de tota re iam viderent illi, de qua ipſi proteſtabantur, poſtulantes vt quoniam quod nunc agebatur tanti eſſet momenti, quæ verò antea acta eſſent, conciones tantùm eſſent ac diſceptationes, vt omnia ſcriptis

mandarentur, concluſiones præſertim: nihil enim agi, niſi inter ſe conuenirent.

Archiep. Lugdunenſ. reſp.

Lugdunenſis Archiepiſcopus vbi cum Collegis conſultaſſet, reſpōdit, quę de conuerſionis ſpe ac promiſſis expoſita eſſent, humanis niti rationibus, Statúſque conſilijs, quæ ad Dei gratiam Fidémque recipiendā non eſſent rationes idoneæ. Quòd ſi ea res Reginæ Angliæ voluptati eſſet, cæteríſque Eccleſiæ hoſtibus illius fœderatis, quid de ea ſperare poſſent Catholici? quā maiorem de ipſius fictione ac ſimulatione coniecturam caperent? Et quidem ſe quoque de miſſis ad hāc rem in Angliam Germaniámque Legationibus inaudiſſe aliquid, facíléque perſpici de ea re non multum angi Miniſtros: quin etiam non aliud Regem Nauarræ polliceri, quàm vt ſe in diſciplinam traderet, quod iampridem poſtulaſſet; nec facilè eſſe ſibi polliceri ab eis perſuaſum iri àquibus informetur. Deū tantùm qui pectoris ſcrutator eſſet, de ijs quæ in eo laterent, & quæ in poſterum futura eſſent poſſe iudicare. Quoad ea quæ prolata eſſent exēpla, Fidei quidem Chriſtianæ Conſtantinum impulſus habuiſſe aliquos, ſed vt primùm veros illius motus

ſtimulóſque perſenſit, conſentaneas illis declarationes & actiones edidiſse: Quòd ſi Idola repentè non euertit, per eum non ſtetiſſe, vt res poſtea cõprobauit, ſed quòd opportuniorem propugnandæ Fidei ac Religionis occaſionem expectaret. Quod etiam ad Clodouæum, illum quidem à Clotilde Regina coniuge ſua monitum legi aſſiduéque ſtimulatum, non antea tamen adduci ac perſuaderi potuiſſe, quàm in medio conflictu implorandæ opis diuinę neceſſitas incubuiſſet, cuius cùm prę-ſentem diuinitus opem ſenſiſſet, victor rediẽs præclaram ſubitò Fidei profeſſionẽ, magna cum & animi cõtritione & lachrymarũ copia emiſiſſet: cúmque à D. Remigio Rhemorum Archiepiſcopo eſſet admonitus, vt Idola gentiúmque ritus aboleret, ſe ad id paratum eſſe reſpõdiſſet, populúmque ad id hortatũ ire, quod eodem momento perfecit. Verùm priuſquam ad eos loqueretur, publicis totius populi acclamationibus pręuentum eſſe, qui ſe Idolis nuncium ac paganiſmo remiſiſſe profiteretur, ab illóque adeò præclarè eſſet animatus, vt ad delendos Arrianos eorum armis vteretur. Ab eodem authore literis

Greg. Tur. lib. 2. c. 34. eſſe conſignatum, quòd Auitus, pius illę Epiſcopus cùm Regem Burgundiæ Gundebaldum videret clam inungi velle ac initiari, ob populi metum qui maxima ex parte infidelis eſſet, aſſentiri noluiſse, cùm diceret, *Si verè credis, quod Chriſtus edocuit, exequere: & quod corde te dicis credere, ore profer in publicum.* Placere ſibi ſponſionem, quæ de reuerentia fieret animíque demiſſione ſuæ Sanctitati, vt par erat, exhibēda, ſed re factíſque exhibendam eſse, cum vera Chriſtianáque humilitate ac filiali obedientia: de tota conuerſionis ratione illius ſtando Iudicio, non conditiones ac modificationes, quod fiebat, adhibendo, quæ eſset ad periculoſum ac peſtiferū ſchiſma expedita via. fateri ſe in iis quæ ad dominium merè temporale attinerent, Coronā hanc à Deo pendere, nec vllum præterea ſuperiorem agnoſcere: Francos ſe & in legum diſciplina educatos, ſupremam Regni authoritatem nō ignorare: verùm vbi Religio Fidéſque ageretur, vt in reconciliatione cum Eccleſia, in abſolutione à cēſura, & excommunicatione, & iis quę cum illis eſsent coniuncta, de iis cognoſcere ad ſolum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem per-

tinere,cui Chriſtus ſuæ Eccleſiæ habenas tradidiſset, qui ligare poſset acſoluere; cui denique hæc cœlitus prærogatiua obtigiſſet, *Ne illius Fides vnquam deficeret.*

Quoad cætera capita,nolle ſe quæ allatæ eſsent cauſas repetere, quas tanti ponderis putaret eſse, vt nullum ad eas idoneum reſpõſum adferri poſset. Quod autem commemoratum erat,nihil opus fuiſſe colloquio, ſi in eo de Religionis ſecuritate, ac pacis conditionibus agi non placeret, ampliſſimum fore colloquij fructum, ſi Catholici illius beneficio animis eſsent ſenſibúſque coniuncti, ſi in Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ obedientia pro tuenda Religione hæreſique extirpanda conſpirarent, cùm alioqui nulla poſset firma ſolidáque pax inſtitui, quod initio dictum eſset.Quòd petebant, vt ſcripto ageretur, id ſibi ſemper placuiſſe, ídque ita fieri ab initio ſemper poſtulaſse, vt nũc quoque omnia colloquij acta ſcriptis mandari poſtularent, quam prouinciam duobus è ſuo numero daturi eſſent,vt de ijs quæ geſta eſsent inter ſe conſentirent,vt idem illi quoque facerent obteſtari;cùm ipſi acta in commentarios qua

par eſt fide retuliſsent. Cùm dicendi finem feciſset, variæ ac ſine ordine quæſtiones habitæ ſunt de Summi Pontificis authoritate, de ſpiritalis ac temporalis poteſtatis diſtinctione, de Ecclefiæ Gallicanæ libertatibus, de Bullis denique excommunicationis, quas nonnulli monitiones tantum aut ſimplices declarationes eſse pugnabant.

Vbi vnà prandiſſent, ad deliberandum vtrinq; diſceſſum eſt. D. de Belin ad Collegas retulit ſe cum D. de Vic proprio quemque, non ſociorum nomine contuliſse, omnia ſe rupta ac reſciſſa exiſtimare, rogare vt boni conſulerēt, ſi cum Pariſiorum noſſet egeſtatem, leuationis iis aliquid adferre contenderet, atque vt etiam etiamque cogitarent, quantæ res ea calamitati futura eſſet, ſi in ipſorum reditu colloquij ruptura publicaretur, tùm præſertim cùm induciæ oblatæ dicerentur. Quo loco placuit vt iterum conuenirent, vt de quo inter ſe conſentirent, conſtaret: quod vbi factum fuiſſet idem Archiepiſcopus Lugdunenſis tria capita ſummatim repetiit, atque imprimis illud admonuit, nihil aliud agi poſſe, niſi vt de illa

conuerſione iudicium ad Suam Sanctitatem referretur; ſi aliud ageretur, periculoſiſſimum in hoc Regnum ſchiſma introductum iri, cuius notâ turpiſsimâ iam nimis inuſtū eſſet atque diffamatum; & hoc eſſe, remedij loco, hæreſim hæreſi addere, ſchiſma ſchiſmati, cum ſumma totius orbis Chriſtiani offenſione ac ſcandalo: ipſorum eſse qui Catholici eſſent, ob ea quæ inde emerſura eſſent incommoda, ob huius etiā Chriſtianiſſimi Status dignitatē ac famam, ei rei prouidere, qui Status eam ſemper laudem ac opinionē reportaſſet, quod cum hæreſibus immortale bellū gereret, nec ſchiſmata pati potuiſſet, in quem denique id conferri poſſet, quod ſanctiſsimus ille vir, verèque Francus D. Bernardus in epiſtolis diceret, cauendum eſſe ne in ea regione ſchiſma fieret, in qua ſchiſmata reparari mos eſset.

Bern. Epiſt. 219. *Si qua in vobis ſunt viſcera pietatis, tantis vos opponite malis. ne in illa præcipuè terra ſchiſma fiat, in qua ſolent ſciſſura alia reſarciri.*

Archiepiſcopus Bituricenſis, cum ſanctiſsima Sede vt ageretur, ſuam ait mētem eſse: vtrum verò ante, an poſtea, fidem ſuā ſe nolle interponere: velle ſe pluribus ſua conſilia aperire, quod Collegis ſuis non ingratum fore confideret: Regem nempe ſe abſolui curaturū *Ad futuram cautelam*,

Miſsæque interfuturum, atque vbi ſolutus eſset anathemate, legationẽ Romam miſſurum, qua benedictionẽ à Summo Pontifice poſtularet, ſolitámque ei obedientiam præſtaret, velle enim ſe verbo vti in Romana Curia vſitato: etenim vt apertè liberéque quod res eſt loquerentur, nolle ſe Regem in illud diſcrimen adducere, vel illius Coronam extraneorum iudicio permittere, & ſub eius connexionis prætextũ ac ſpecie, quæ inter excommunicationẽ, iúſque ad Regnum intercederet, de prætẽſa incapacitate iudicium eis permittere; etſi propria illa non eſset excommunicatio, ſed declaratio, & domeſtica ac ordinaria in eam rem remedia ſuppeterent, vt opus non eſset ad externa extraordinariáque confugere, probatũ ſe cùm opus eſset iure communi, rationibus ac exemplis, in Galliis poſse Epiſcopos huic rei prouidere; Eccleſiæ Gallicanæ priuilegia ſatis omnibus nota ac perſpecta eſse. Nã ſi ſummus Pontifex *repellere eum à limine iudicij*, quòd relapſus eſset, impœnitẽs ac damnatus, dicere, aut alias ſimiléſque rationes proferre vellet, quo ille loco eſset? quem errorem ipſius Conſilium admiſiſset? quo in ſtatu

hæc

hæc Corona eſset? Bonis vacantibus quis curator eſset?In priuatis perſonis his vocibuſs locum eſse, non in illuſtribus & tam celſa ac eminenti dignitate prçditis, in Regibus præſertim ac ſupremis Principibus, qui in enſis cuſpide Coronas ſuas geſtarent, non legibus communibúſque ſtatutis obligatas haberent: denique vt Gallica libertate loquerentur, non ſtatuiſſe Coronam vltra montes oppignerare.

Vna omnium voce reſponſum eſt, vt canones ac exẽpla proferrentur, quibus Epiſcopis ius eſſet ſuæ Sanctitatis reuocandi abrogãdíque iudicia, à quinque séxve ordine Pontificibus confirmata, quæ ſine dubio ſuprema ſacroſancti Spiritus iudicia ac decreta eſſent, quorum cognitio, moderatio interpretatióque ad ſanctam Sedem tantummodo pertineret, ídque tum iure, tum quòd eiſdem Bullis rei iudicium ſibi ſemper Summi Põtifices reſeruaſsent, cæteríſque omnibus cuiuſcumque eſsent ordinis ac dignitatis eo interdixiſsẽt, vt ex earum lectione perſpici poſset, vbi facilè ſimplicéſne eſsent declarationes, vt iactabatur, aduerti poſset. Nõ legi quod in cauſa hæreſeos vllum eſſet peculiare priuile-

gium acceptióque perſonarum:contrà, vt plus hic ineſſet periculi ac ſuſpicionis, ita cautionis amplius atque conſilij adferri oportere.

Quid igitur facto opus eſt ? inquit Bituricenſis Archiepiſcopus, aliquod proferte conſilium, nos ſecuros facite: Iungite vos nobis, ſummo Pontifici vnà ſupplicemus, vt hoc Galliam beneficio proſequatur. Dux Meduanus multùm ad id cõferre poterit, ſi ſe ſuæ Sanctitati ſinceri Regis animi vadem dederit, atque vt ad illuſtriſſimum Cardinalem Placentinum Breue mittat, perfecerit, cui huius Regni ſalus tantæ curę eſt, vt non dubium ſit quin cum aliquo Prælatorum numero, tam ſancto támque ſalutari operi velit incumbere. Archiepiſcopus Lugdunenſis reſpondit, cum ipſis de eiuſmodi negotio agendum non eſſe, de quo nec poſſent, nec deberent cognoſcere; illorum eſſe, ſibi vt deberent, vtque noſſent, prouidere: Suam eſſe Sanctitatem cum qua agendum eſſet vt de illa conuerſione & iis quæ ex illa penderent, iudicaret, pœnámve pœnitenti ſtatueret: ſuum eſſe qui Eccleſiæ filij eſſent, illius mãdatis conſiliíſque attendere. Ducem Me-

ſduanum non tam eſſe neſcium, quam Eccleſiæ ac Sanctitati ſuæ reuerentiam deberet, vt aliquid quod illi gratum futurum non eſſet, ſuſciperet; aut aliquod eius voluntati præiudicium in re tanti momenti adferret, quę ad Religionem, Statum, rémque publicam Chriſtianam pertineret; id tantùm poſſe illis confirmare, Meduanum Ducem eas lubentiſſimè amplexurum eſſe rationes ac vias, quas ſua Sanctitas ad Regni ſalutem opportunas iudicaret, cùm Religionem extra periculum aleámq; videret eſſe, quod vnum ſemper ſpectaſſet.

Quo loco in longiorem ingreſſi ſunt inter ſe diſceptationem, eáque contentione vt omnia rupta ſciſsáque viderentur, nullúmque alium Congreſſus exitum expectari oportere, adeò vt idem Archiepiſcopus Bituricenſis diceret; cum veſtra igitur, Viri Clariſſimi, venia diſcedemus: atque inter exurgendum ad D. de Bellieure conuerſi, non ſic, inquiunt, abeundum & tam vtile opus deſerendum: D. Comes de Schombert vnius adhuc itineris laborem ſuſcipiet, vt eos, quos opus eſt, ad officij ac æquitatis munus adducat, nóſque

proximo die Veneris reſponſum, Deo aſpirante, feremus.

Et quoniam induciarum tempus effluxerat, vt prorogaretur petitũ eſt. Partium Regis Nauarræ Delegati ſe aſſentiri non poſse reſponderunt, ſibíque id omninò eſſe interdictum; cùm ſatis cognoſcerẽt, id agi tantùm vt tempus duceretur, dum externæ copiæ aduentarẽt; adde quod etiam contra induciarum leges multa fierent, magnáque in vrbem annonæ copia inferretur. Ad hæc reſponſum eſt ſatis eſſe exploratum, quòd aliquem magni momẽti locum molirentur inuadere, ſi id cauſæ eſſet, apertos eſſe cuniculos, neq; ob id cunctandum, quominus induciæ in proxima Pentecoſtes feſta prorogarentur. Poſtremò præſidiariis militibus vtrinque mandatum eſt, vt ad tres dies ſeſe continerent.

Cúmque ad diſceſsum ſe compararent, qui à Regis Nauarræ partibus erant Delegati, petierunt, vt quoniam nihil ſcripto traderetur, ſaltem vt ipſorum vnius illorum ſcriptum tradidiſſet: ſic eorum quoque vnus eodem ipſos honore gratiáque dignaretur. Otium ad deliberandum ſumptum eſt, quod ex eorum numero vnus ad

id ſe paratum oſtenderet; qua de re variæ fuerunt ſententiæ, præſertim quòd ad ſcripti rationem, quod dabatur, attinebat, in quo nõnulla eſsent, quæ Comitiorum voluntati non reſponderent, quæque aliquid quàm vellent amplius præſeferent. Deniqꝫ pluribus ſuffragiis in eam itum eſt ſententiam, ſi priuatus aliquid nõ Comitiorum, neque Collegarum nomine dare vellet, liberum illi fore, quod factum eſt, huius autem ſcripti hæc fuit ſententia.

Dixiſtis, Viri Clariſsimi, poſteáque ſcripſiſtis, Regem Nauarræ vt erudiatur curaturũ eſſe, ac intra paucos dies bonũ fore verúmque Catholicum: hoc illi votum ac deſiderium eſſe, aut potius Catholicum animo iampridem eſſe, ſed bellorum occupationibus ne id oſtenderet, réque ipſa præſtaret, impeditum eſse; huius rei fiducia vt de Religionis conſeruãdæ rationibus, Regníque otio procurando vobiſcum agamus inuitatis, ſi quidem ille euadat Catholicus, & in huius præclaræ voluntatis pignus, inducias ad duos trés ve menſes illius nomine offertis. Scriptum Catholic. Vnionis.

Quæ propoſitio tam nobis grata contingit quàm illa fuit ingrata, cùm initio Congreſſus vt futuræ conuerſionis ſpe, iam inde illum reciperemus, peteretis. Qua in re ſi noſtrum vobis

reſponſum aſperius viſum eſt, date veniam, aut noſtrum potius zelum laudate, iuſtúmque fuiſſe recognoſcite, nec vos alium à nobis ſperare debuiſſe, qui ſemper ſub Eccleſiæ, Sãctæ Sedis, & eorum quæ Sancti Patres tradidiſſent, præceptorum obedientia ſtetiſſemus.

Quam oſtenditis conuerſionem optamus, Deum, vt contingat, oramus, vt vera ſinceráque ſit, vtque actiones quæ pium illud opus præire, comitari, ac ſubſequi debent, eiuſmodi ſint, quæ Suæ Sanctitati ſatisfaciant, cuius ſolius eſt de illa iudicare, eúmque Eccleſiæ reconciliare, quibúſque Religio ſecura poſsit conſiſtere, ad eiuſdem Summi Pontificis & Catholicorum ſatisfactionem, qui poſt tot labores exantlatos, nihil ita in votis habẽt, vt honeſtum otiũ atque diuturnum, ſine quo certam proſpiciunt huius Status perniciem. Vos tamen celatos nolumus, nihil nos huc vſque perſpicere, quod hanc nobis ſpem afferre poſsit. Qui animum cupit ad bonum adiungere, hic neceſſe eſt à malo primùm diſcedat; qui in Eccleſiam ingredi deſiderat, & ab Epiſcopis, Prælatis, atque Doctoribus erudiri, quod vos iam vbique de illo ſparſiſtis, illos ſibi debet adhibere, Miniſtros longè à ſe relegare, & Religionis, quam damnare cœperit cultum obſeruantiámque intermittere; &

tamen norunt omnes in verbis illum, actionibus, vitæque rationibus, qui fuit, permanere. Illud nos magis miramur, quòd toties nobis inculcaſtis Catholicum iampridem animo fuiſſe, cùm ſuperiores illius actiones recordamur. Etenim ſi id ita eſt, quî fieri poſſet, vt hæc in Principis animo voluntas, qui potuit ſemper hac in re quod voluit, tàm pugnantes & contrarias actiones edidiſſet, ad errorem ſuum conſtituendum, & Religionem euertendam ſpectantes, quas quiſque videre ac noſſe potuiſſet; vel ſi cùm iam apud ſe eſſet Catholicus, ita ſe geſſerit, quid nos in poſterum timere debeamus?

Satius fuiſſet dicere tunc temporis non fuiſſe Catholicum, aut eiuſmodi fuiſſe Catholicum, quem Catholici qui Catholicam, Apoſtolicam ac Romanam Eccleſiam colunt, eſſe volunt ac cupiunt; ſed hanc in præſentia mentem ac voluntatem Deum illi inſpirare, qui ſolus id poteſt cùm lubet. Quæ oratio nobis magis arrideret, quàm id quod præterea dicitis, ſuorum ſe precibus flecti paſſum eſſe. Exteriorem enim hominis faciem, terrena conſilia, ac humanæ rationes mutare poſſunt. Noſtra vero mens, hac tingi doctrina, & ad eam diſponi, niſi Spiritus ſancti aſpirante gratia, non poteſt.

Non vos latet, Viri Clariſſimi, quam Eccle-

ſia ad veram conuerſionem, formam, quáſque rationes præſcripſerit, quarum capeſſendarum vt illi authores ſitis, hortamur vos atque obteſtamur. Inſtitui quidem ab optimis Epiſcopis, Prælatis, ac Doctoribus poteſt, & hoc eſt, quod vos cùm vnà agebamus monuimus; quod etiam hæc illum inſtitutio mutarit in melius, omnibus ſi velit per actiones ſuas teſtatum faciet. Verùm primam huic operi ſummámque manum imponere Suæ Sanctitatis ac Sanctæ Sedis eſt, quam penes vnam poteſtas eſt atque authoritas illius probandæ conuerſionis, & abſolutionis impertiendæ, ſine qua conuerſum illum ac Eccleſiæ redditum habere non poſſumus.

Cùm ſe offeret ac Legatos ipſe mittet, ſummum Pontificem Eccleſiæ caput agnoſcet, cum ea qua poteſt ſubmiſſione ac reuerentia, tantum nobis de Suæ Sanctitatis pietate, integritate, prudentiáque pollicemur, vt vacuam omni perturbatione, nec cuiuſquam, quiſquis ille ſit, commodorum ratione hábita, quicquid ſui officij ac paterni ſtudij eſſe iudicarit; ad huius regni ſalutem, & ſi fieri poteſt pacem, allaturam confidimus, cuius regni ſalutem ſibi iam oſtendit quauis re alia eſſe cariorem.

Nullum de illius voluntate præiudiciũ quòd Marchionem de Piſani, nec recipere nec audire

voluerit

voluerit debetis facere, quippe qui nō Regis Nauarræ nomine, ſed omnium, qui ab eius partibus eſſent, Catholicorum miſſus eſſet, quod contemptus ſpeciem præ ſe tulit: quo iure offendi potuit, argumentúmque ex eo capere alieni à reſipiſcētia illius animi, de cuius tamen conuerſione ſpes illi afferebatur: quandóquidem ipſe Legatos non mittebat.

Adde quod eodem, quo illud iter ſuſceptum eſt, tempore, Magiſtratus, qui in eius partibus Senatus locum tenent, contumelioſa in Bullam Sanctæ Sedis ac Summi Pontificis authoritatem Senatuſconſulta emittebant. Caeterùm nobis perſuademus, rem in poſterum meliori ordine gerendam, cúmque maiori reuerentia & dignitate Summi Pontificis, ac noſtri in Sanctam Sedem officij conſideratione.

Hoc igitur eſt, quod vobis ad factam de illius conuerſione declarationem habemus reſpondere; nos ſcilicet vt vera ſit ac ſincera percupere, verùm cum Summi Pontificis authoritate ac cōſenſione debere fieri, cum illo ipſi, non nobiſcum agendum eſſe. Hoc vnū in eam rem conferre poſſemus, vt ad Suam Sanctitatem, Legationem mitteremus, quæ illam de afflicto ac miſerando huius Regni ſtatu, & honeſtæ ac ſecuræ pacis neceſſitate doceremus. Atque intereà nobis eſſe

deliberatum, omnia potius, Deo iuuante, extrema perpeti, quàm vt noſtra Religio in diſcrimen adducatur, illius hac de re conſilium expectare, illius iuſſa capeſſere eiſque obtemperare: qua in re ea nos fide ac integritate verſabimus, vt quiſque intelligat nos cum Religione, Regni quoque ſalutem, ac pacem complecti ac perſequi, quod naufragium facere ac perire non poteſt, quin vt veſtram, ita noſtram quoque perniciem vnà ſecum trahat.

Hæc autem conuerſio priuſquam contigerit, & ita recepta ac probata fuerit, ſi vobiſcum nõ agimus, vos æqui boníque conſulite. Neque enim id agere poſſumus, quin vnà cõuerſionem illam approbemus, cuius tamen iudicium Suæ Sanctitati integrum relinqui debet: vt verò probata eſſet illa conuerſio, ſuam tamen Sanctitatem de conditionibus vellemus conſulere, quæ ad retinendam in hoc Regno ſolam verámque Religionẽ neceſſariæ eſſent, quæ Catholica eſt, Apoſtolica ac Romana. Accedit eodem quòd nonnullæ poſſent circa illas ſecuritates difficultates ſuboriri, quæ huic pio operi aut impedimentum aut moram adferrent. Cuius rei dedecus in eos qui minus conſcij eſſent redundaret: quæ conditiones poſt illius conuerſionem publicè, & quaſi in totius orbis Chriſtiani conſpectu peti

poſſent, cuius non minus, quàm noſtrâ interſit cum quiſque id omne eò conferre teneatur, quod in eius poteſtate ſit. Quoad inducias attinet, cùm veſtrum de duobus aliis capitibus conſilium cognouerimus, de illis reſponſum dabimus, noſtræ in populi commoda, pacem ac leuationem, propenſæ voluntatis argumentum.

Die Iouis 10. Iunij ſuperioris congreſſus relatio facta eſt, póſtque varios, graues ac eruditos ſermones, apud ſingulos Ordines in eam rem habitos, quæ Delegati geſſiſſent, rata gratáque habita ſunt præter ſcriptum illud, quòd à Comitiorum ſententia aliquantum diſſentiret. Quam rem etiam cùm Illuſtriſs. Legatus reſciuiſſet ægrè tulit imprimis, ac improbauit. Verùm Delegati oſtenderũt non ſuo omniũ, multóque minus Comitiorum nomine fuiſſe traditum, ideóque in argumentum trahi non poſſe: Quin & ſeorſum Eccleſiaſticus ordo ſe illud nullo modo probare teſtatus eſt. Placuit nihilominus vt illorũ reſponſum die locóque conſtituto audiretur.

SESSIO ix. DIEI VENERIS xj. Iunij.

QVOD reſpõſum poſtridie adlatũ fuit, qui vndecimus Iunij dies, ac D. Bar-

nabę ſacer fuit, apud Villetę pagum media inter Pariſios Sanctúmq; Dionyſiũ via, in D. Emerici qui vnus Delegatorum fuit domo, quò vtrinque eadem circa meridiem hora aduentarant: neque agi potuit quin eodem è Pariſienſi popu'o multi cõfluerẽt, de induciarum quæ oblatæ eſſent exitu ſoliciti; Magis vt aliquam tot ærũnarum, quas à multis annis pænéque incredibiles ampliſſima vrbs ſuſtinuit, leuationem quærerent, quàm quòd ſuum in Religionem ſtudiũ remiſiſſent, à qua Deo propitio nunquam diſceſſuram eſſe exiſtimandum eſt, neque illam quæ nunquam intermoritura eſt laudem eſſe neglecturã, quòd plures ipſa, quàm alia quæuis ciuitas pro Religione labores pertulit, Galliæque ac pòſt futuris ſeculis admirabile deuotionis, Fidei ac inuicti animi exemplum præbuit. Cùm igitur vnà cõueniſſent, Archiepiſcopus Bituricenſis Conſeſſum orauit vt quid ſuperiore Congreſſu actum eſſet meminiſſent, & ſi quid prætermiſſum eſſet, aduerterent; aitque D.D. de Schombert & de Reuol ad Catholicos Principes adiiſſe, qui eis quod opus eſſet proponerent, quod ſumma cum laude ac energia

perfeciſſent, vt res protinus factáque docerent: non multis opus eſſe verbis, quòd eorum mens eſſet ſcripto tantùm agere: Et quoniam poſtulatum eſſet, vt in id ſcriptũ omnia referrent quæ ab initio inter eos geſta eſſent, hoc ſe egiſſe nulla re omiſſa, quæ ad rei ſummã pertineret; quod ex ipſius lectione cõſtaret. Quod vbi D. de Reuol legiſſet, ſingulorum ex eis ſignatum manu obtulit, reſponſum petens, ad inducias præſertim, quo loco multis vſus eſt grauiſſimíſq; proteſtationibus. Cùm Principum Catholicorum, ac Comitiorũ Delegati in Conſiliũ inter ſe irent, ſéque ſeorſum deliberandi cauſa reciperent. D. D. de la Chatre, & de Roſne, interuenerunt, qui vt adeſſent, ſuámque ſententiam de iis quæ agebantur, & de recipiendæ declarationis difficultate exponerent, rogati ſunt; quæ cùm iterum à D. Bernardo lecta eſſet, communi cõſilio recipi placuit, cum iis cõditionibus, ac qualitatibus; quas Archiepiſcopus Lugdunenſis enunciaret, id quod egit, nempe in eo ſcripto, ipſorum pace, mutatum eſſe aliquid & quoad verba quæ vſurpata eſſent, & quoad ipſam rei ſententiã; etſi non omnino ab illa alienum

Miſsæque interfuturum, atque vbi ſolutus eſset anathemate, legationẽ Romam miſſurum, qua benedictionẽ à Summo Pontifice poſtularet, ſolitámque ei obedientiam præſtaret, velle enim ſe verbo vti in Romana Curia vſitato: etenim vt apertè liberéque quod res eſt loquerentur, nolle ſe Regem in illud diſcrimen adducere, vel illius Coronam extraneorum iudicio permittere, & ſub eius connexionis prætextu ac ſpecie, quæ inter excommunicationẽ, iúſque ad Regnum intercederet, de prætẽſa incapacitate iudicium eis permittere; etſi propria illa non eſset excommunicatio, ſed declaratio, & domeſtica ac ordinaria in eam rem remedia ſuppeterent, vt opus non eſset ad externa extraordinariáque confugere, probatũ ſe cùm opus eſset iure communi, rationibus ac exemplis, in Galliis poſse Epiſcopos huic rei prouidere; Eccleſiæ Gallicanæ priuilegia ſatis omnibus nota ac perſpecta eſse. Nã ſi ſummus Pontifex *repellere eum à limine iudicij*, quòd relapſus eſset, impœnitẽs ac damnatus, dicere, aut alias ſimiléſque rationes proferre vellet, quo ille loco eſset? quem errorem ipſius Conſilium admiſiſset? quo in ſtatu hæc

hæc Corona eſſet? Bonis vacantibus quis curator eſſet?In priuatis perſonis his vocibus locum eſſe, non in illuſtribus & tam celſa ac eminenti dignitate prędıtis,in Regibus præſertim ac ſupremis Principibus, qui in enſis cuſpide Coronas ſuas geſtarent,non legibus communibúſque ſtatutis obligatas haberent: denique vt Gallica libertate loquerentur, non ſtatuiſſe Coronam vltra montes oppignerare.

Vna omnium voce reſponſum eſt, vt canones ac exēpla proferrentur,quibus Epiſcopis ius eſſet ſuæ Sanctitatis reuocandi abrogādíque iudicia, à quinque séxve ordine Pontificibus confirmata,quæ ſine dubio ſuprema ſacroſancti Spiritus iudicia ac decreta eſſent, quorum cognitio, moderatio interpretatióque ad ſanctam Sedem tantummodo pertineret, ídque tum iure,tum quòd eiſdem Bullis rei iudicium ſibi ſemper Summi Pōtifices reſeruaſsent, cæteríſque omnibus cuiuſcumque eſsent ordinis ac dignitatis eo interdixiſsēt, vt ex earum lectione perſpici poſset, vbi facilè ſimplicéſne eſsent declarationes, vt iactabatur, aduerti poſset. Nō legi quod in cauſa hæreſeos vllum eſſet peculiare priuile-

gium acceptióque perſonarum:contrà, vt plus hic ineſſet periculi ac ſuſpicionis, ita cautionis amplius atque conſilij adferri oportere.

Quid igitur facto opus eſt ? inquit Bituricenſis Archiepiſcopus, aliquod proferte conſilium,nos ſecuros facite:Iungite vos nobis, ſummo Pontifici vnà ſupplicemus, vt hoc Galliam beneficio proſequatur.Dux Meduanus multùm ad id cõferre poterit,ſi ſe ſuæ Sanctitati ſinceri Regis animi vadem dederit, atque vt ad illuſtriſſimum Cardinalem Placentinum Breue mittat,perfecerit, cui huius Regni ſalus tantæ curę eſt,vt non dubium ſit quin cum aliquo Prælatorum numero, tam ſancto támque ſalutari operi velit incumbere. Archiepiſcopus Lugdunenſis reſpondit, cum ipſis de eiuſmodi negotio agendum non eſſe, de quo nec poſſent,nec deberent cognoſcere;illorum eſſe, ſibi vt deberent, vtque noſſent, prouidere: Suam eſſe Sanctitatem cum qua agendum eſſet vt de illa conuerſione & iis quæ ex illa penderent, iudicaret, pœnámve pœnitenti ſtatueret: ſuum eſſe qui Eccleſiæ filij eſſent,illius mãdatis conſiliiſque attendere. Ducem Me-

ſduanum non tam eſſe neſcium, quam Eccleſiæ ac Sanctitati ſuæ reuerentiam deberet, vt aliquid quod illi gratum futurum non eſſet, ſuſciperet; aut aliquod eius voluntati præiudicium in re tanti momenti adferret, quę ad Religionem, Statum, rémque publicam Chriſtianam pertineret; id tantùm poſſe illis confirmare, Meduanum Ducem eas lubentiſſimè amplexurum eſſe rationes ac vias, quas ſua Sanctitas ad Regni ſalutem opportunas iudicaret, cùm Religionem extra periculum aleámq; videret eſſe, quod vnum ſemper ſpectaſſet.

Quo loco in longiorem ingreſſi ſunt inter ſe diſceptationem, eáque contentione vt omnia rupta ſciſſáque viderentur, nullúmque alium Congreſſus exitum expectari oportere, adeò vt idem Archiepiſcopus Bituricenſis diceret; cum veſtra igitur, Viri Clariſſimi, venia diſcedemus: atque inter exurgendum ad D. de Bellieure conuerſi, non ſic, inquiunt, abeundum & tam vtile opus deſerendum: D. Comes de Schombert vnius adhuc itineris laborem ſuſcipiet, vt eos, quos opus eſt, ad officij ac æquitatis munus adducat, nóſque

proximo die Veneris reſponſum, Deo aſpirante, feremus.

Et quoniam induciarum tempus effluxerat, vt prorogaretur petitũ eſt. Partium Regis Nauarræ Delegati ſe aſſentiri non poſse reſponderunt, ſibíque id omninò eſſe interdictum; cùm ſatis cognoſcerẽt, id agi tantùm vt tempus duceretur, dum externæ copiæ aduentarẽt; adde quod etiam contra induciarum leges multa fierent, magnáque in vrbem annonæ copia inferretur. Ad hæc reſponſum eſt ſatis eſſe exploratum, quòd aliquem magni momẽti locum molirentur inuadere, ſi id cauſæ eſſet, apertos eſſe cuniculos, neq; ob id cunctandum, quominus induciæ in proxima Pentecoſtes feſta prorogarentur. Poſtremò præſidiariis militibus vtrinque mandatum eſt, vt ad tres dies ſeſe continerent.

Cúmque ad diſceſsum ſe compararent, qui à Regis Nauarræ partibus erant Delegati, petierunt, vt quoniam nihil ſcripto traderetur, ſaltem vt ipſorum vnius illorum ſcriptum tradidiſſet: ſic eorum quoque vnus eodem ipſos honore gratiáque dignaretur. Otium ad deliberandum ſumptum eſt, quod ex eorum numero vnus ad

id ſe paratum oſtenderet; qua de re variæ fuerunt ſententiæ, præſertim quòd ad ſcripti rationem, quod dabatur, attinebat, in quo nõnulla eſsent, quæ Comitiorum voluntati non reſponderent, quæque aliquid quàm vellent amplius præſeferent. Deniqꝫ pluribus ſuffragiis in eam itum eſt ſententiam, ſi priuatus aliquid nõ Comitiorum, neque Collegarum nomine dare vellet, liberum illi fore, quod factum eſt, huius autem ſcripti hæc fuit ſententia.

Dixiſtis, Viri Clariſsimi, poſteáque ſcripſiſtis, Regem Nauarræ vt erudiatur curaturũ eſſe, ac intra paucos dies bonũ fore verúmque Catholicum: hoc illi votum ac deſiderium eſſe, aut potius Catholicum animo iampridem eſſe, ſed bellorum occupationibus ne id oſtenderet, réque ipſa præſtaret, impeditum eſse; huius rei fiducia vt de Religionis conſeruãdæ rationibus, Regníque otio procurando vobiſcum agamus inuitatũ, ſi quidem ille euadat Catholicus, & in huius præclaræ voluntatis pignus, inducias ad duos trés ve menſes illius nomine offertis. *Scriptum Catholic. Vnionis.*

Quæ propoſitio tam nobis grata contingit quàm illa fuit ingrata, cùm initio Congreſſus vt futuræ conuerſionis ſpe, iam inde illum reciperemus, peteretis. Qua in re ſi noſtrum vobis

reſponſum aſperius viſum eſt, date veniam, aut noſtrum potius zelum laudate, iuſtúmque fuiſſe recognoſcite, nec vos alium à nobis ſperare debuiſſe, qui ſemper ſub Eccleſiæ, Sāctæ Sedis, & eorum quæ Sancti Patres tradidiſſent, præceptorum obedientia ſtetiſſemus.

Quam oſtenditis conuerſionem optamus, Deum, vt contingat, oramus, vt vera ſinceráque ſit, vtque actiones quæ pium illud opus præire, comitari, ac ſubſequi debent, eiuſmodi ſint, quæ Suæ Sanctitati ſatisfaciant, cuius ſolius eſt de illa iudicare, eúmque Eccleſiæ reconciliare, quibúſque Religio ſecura poſſit conſiſtere, ad eiuſdem Summi Pontificis & Catholicorum ſatisfactionem, qui poſt tot labores exantlatos, nihil ita in votis habēt, vt honeſtum otiū atque diuturnum, ſine quo certam proſpiciunt huius Status perniciem. Vos tamen celatos nolumus, nihil nos huc vſque perſpicere, quod hanc nobis ſpem afferre poſſit. Qui animum cupit ad bonum adiungere, hic neceſſe eſt à malo primùm diſcedat; qui in Eccleſiam ingredi deſiderat, & ab Epiſcopis, Prælatis, atque Doctoribus erudiri, quod vos iam vbique de illo ſparſiſtis, illos ſibi debet adhibere, Miniſtros longè à ſe relegare, & Religionis, quam damnare cœperit cultum obſeruantiámque intermittere; &

tamen norunt omnes in verbis illum, actionibus, vitæque rationibus, qui fuit, permanere. Illud nos magis miramur, quòd toties nobis inculcaſtis Catholicum iampridem animo fuiſſe, cùm ſuperiores illius actiones recordamur. Etenim ſi id ita eſt, quî fieri poſſet, vt hæc in Principis animo voluntas, qui potuit ſemper hac in re quod voluit, tàm pugnantes & contrarias actiones edidiſſet, ad errorem ſuum conſtituendum, & Religionem euertendam ſpectantes, quas quiſque videre ac noſſe potuiſſet; vel ſi cùm iam apud ſe eſſet Catholicus, ita ſe geſſerit, quid nos in poſterum timere debeamus?

Satius fuiſſet dicere tunc temporis non fuiſſe Catholicum, aut eiuſmodi fuiſſe Catholicum, quem Catholici qui Catholicam, Apoſtolicam ac Romanam Eccleſiam colunt, eſſe volunt ac cupiunt; ſed hanc in præſentia mentem ac voluntatem Deum illi inſpirare, qui ſolus id poteſt cùm lubet. Quæ oratio nobis magis arrideret, quàm id quod præterea dicitis, ſuorum ſe precibus flecti paſſum eſſe. Exteriorem enim hominis faciem, terrena conſilia, ac humanæ rationes mutare poſſunt. Noſtra vero mens, hac tingi doctrina, & ad eam diſponi, niſi Spiritus ſancti aſpirante gratia, non poteſt.

Non vos latet, Viri Clariſſimi, quam Eccle-

ſia ad veram conuerſionem, formam, quáſque rationes præſcripſerit, quarum capeſſendarum vt illi authores ſitis, hortamur vos atque obteſtamur. Inſtitui quidem ab optimis Epiſcopis, Prælatis, ac Doctoribus poteſt, & hoc eſt, quod vos cùm vnà agebamus monuimus; quod etiam hæc illum inſtitutio mutarit in melius, omnibus ſi velit per actiones ſuas teſtatum faciet. Verùm primam huic operi ſummámque manum imponere Suæ Sanctitatis ac Sanctæ Sedis eſt, quam penes vnam poteſtas eſt atque authoritas illius probandæ conuerſionis, & abſolutionis impertiendæ, ſine qua conuerſum illum ac Eccleſiæ redditum habere non poſſumus.

Cùm ſe offeret ac Legatos ipſe mittet, ſummum Pontificem Eccleſiæ caput agnoſcet, cum ea qua poteſt ſubmiſſione ac reuerentia, tantum nobis de Suæ Sanctitatis pietate, integritate, prudentiáque pollicemur, vt vacuam omni perturbatione, nec cuiuſquam, quiſquis ille ſit, commodorum ratione habita, quicquid ſui officij ac paterni ſtudij eſſe iudicarit; ad huius regni ſalutem, & ſi fieri poteſt pacem, allaturam confidimus, cuius regni ſalutem ſibi iam oſtendit quauis re alia eſſe cariorem.

Nullum de illius voluntate præiudiciũ quòd Marchionem de Piſani, nec recipere nec audire

voluerit

voluerit debetis facere, quippe qui nō Regis Nauarræ nomine, ſed omnium, qui ab eius partibus eſſent, Catholicorum miſſus eſſet, quod contemptus ſpeciem præ ſe tulit: quo iure offendi potuit, argumentúmque ex eo capere alieni à reſipiſcētia illius animi, de cuius tamen conuerſione ſpes illi afferebatur: quandóquidem ipſe Legatos non mittebat.

Adde quod eodem, quo illud iter ſuſceptum eſt, tempore, Magiſtratus, qui in eius partibus Senatus locum tenent, contumelioſa in Bullam Sanctæ Sedis ac Summi Pontificis authoritatem Senatuſconſulta emittebant. Cæterùm nobis perſuademus, rem in poſterum meliori ordine gerendam, cúmque maiori reuerentia & dignitate Summi Pontificis, ac noſtri in Sanctam Sedem officij conſideratione.

Hoc igitur eſt, quod vobis ad factam de illius conuerſione declarationem habemus reſpondere; nos ſcilicet vt vera ſit ac ſincera percupere, verùm cum Summi Pontificis authoritate ac cōſenſione debere fieri, cum illo ipſi, non nobiſcum agendum eſſe. Hoc vnū in eam rem conferre poſſemus, vt ad Suam Sanctitatem, Legationem mitteremus, qua illam de áfflicto ac miſerando huius Regni ſtatu, & honeſtæ ac ſecuræ pacis neceſſitate doceremus. Atque intereá nobis eſſe

deliberatum, omnia potius, Deo iuuante, extrema perpeti, quàm vt noſtra Religio in diſcrimen adducatur, illius hac de re conſilium expectare, illius iuſſa capeſſere eíſque obtemperare: qua in re ea nos fide ac integritate verſabimus, vt quiſque intelligat nos cum Religione, Regni quoque ſalutem, ac pacem complecti ac perſequi, quod naufragium facere ac perire non poteſt, quin vt veſtram, ita noſtram quoque perniciem vnà ſecum trahat.

Hæc autem conuerſio priuſquam contigerit, & ita recepta ac probata fuerit, ſi vobiſcum nō agimus, vos æqui boníque conſulite. Neque enim id agere poſſumus, quin vnà cōuerſionem illam approbemus, cuius tamen iudicium Suæ Sanctitati integrum relinqui debet: vt verò probata eſſet illa conuerſio, ſuam tamen Sanctitatem de conditionibus vellemus conſulere, quæ ad retinendam in hoc Regno ſolam verámque Religionē neceſſariæ eſſent, quæ Catholica eſt, Apoſtolica ac Romana. Accedit eodem quòd nonnullæ poſſent circa illas ſecuritates difficultates ſuboriri, quæ huic pio operi aut impedimentum aut moram adferrent. Cuius rei dedecus in eos qui minus conſcij eſſent redundaret: quæ conditiones poſt illius conuerſionem publicè, & quaſi in totius orbis Chriſtiani conſpectu peti

poſſent, cuius non minus, quàm noſtrâ interſit cum quiſque id omne eò conferre teneatur, quod in eius poteſtate ſit. Quoad inducias attinet, cùm veſtrum de duobus aliis capitibus conſilium cognouerimus, de illis reſponſum dabimus, noſtræ in populi commoda, pacem ac leuationem, propenſæ voluntatis argumentum.

Die Iouis 10. Iunij ſuperioris congreſſus relatio facta eſt, póſtque varios, graues ac eruditos ſermones, apud ſingulos Ordines in eam rem habitos, quæ Delegati geſſiſſent, rata gratáque habita ſunt præter ſcriptum illud, quòd à Comitiorum ſententia aliquantum diſſentiret. Quam rem etiam cùm Illuſtriſ. Legatus reſciuiſſet ægrè tulit imprimis, ac improbauit. Verùm Delegati oſtenderũt non ſuo omniũ, multóque minus Comitiorum nomine fuiſſe traditum, ideóque in argumentum trahi non poſſe: Quin & ſeorſum Eccleſiaſticus ordo ſe illud nullo modo probare teſtatus eſt. Placuit nihilominus vt illorũ reſponſum die locóque conſtituto audiretur.

SESSIO ix. DIEI VENERIS xj. Iunij.

QVOD reſpõſum poſtridie adlatũ fuit, qui vndecimus Iunij dies, ac D. Bar-

perfeciſſent, vt res protinus factáque docerent: non multis opus eſſe verbis, quòd eorum mens eſſet ſcripto tantùm agere: Et quoniam poſtulatum eſſet, vt in id ſcriptũ omnia referrent quæ ab initio inter eos geſta eſſent, hoc ſe egiſſe nulla re omiſſa, quæ ad rei ſummá pertineret; quod ex ipſius lectione cõſtaret. Quod vbi D. de Reuol legiſſet, ſingulorum ex eis ſignatum manu obtulit, reſponſum petens, ad inducias præſertim, quo loco multis vſus eſt grauiſſimíſq; proteſtationibus. Cùm Principum Catholicorum, ac Comitiorũ Delegati in Conſiliũ inter ſe irent, ſéque ſeorſum deliberandi cauſa reciperent. D. D. de la Chatre, & de Roſne, interuenerunt, qui vt adeſſent, ſuámque ſententiam de iis quæ agebantur, & de recipiendæ declarationis difficultate exponerent, rogati ſunt; quæ cùm iterum à D. Bernardo lecta eſſet, communi cõſilio recipi placuit, cum iis cõditionibus, ac qualitatibus; quas Archiepiſcopus Lugdunenſis enunciaret, id quod egit, nempe in eo ſcripto, ipſorum pace, mutatum eſſe aliquid & quoad verba quæ vſurpata eſſent, & quoad ipſam rei ſententiã; etſi non omnino ab illa alienum

eſset: ſed ſui fuiſse Conſilij, vt de eorum quæ acta, propoſita & diſceptata eſsent, texenda hiſtoria, quò nota eſset rei veritas, conuenirent: ipſos quidem ſcripſiſſe commentarios, in quos per ſingulos dies cuncta ſumma fide, pænéque verbis eíſdem retuliſſent. De induciis neſcire ſe quid ita de eis inſtarent, qui Druidũ vrbem per id tempus obſidere cœpiſſent, quo ipſo Dux Meduanus ad Comitem Carolum vt à locorum obſidione ac expugnatione deſiſteret, nec quid vltra tentaret, mandata miſiſſet; ſe nihilominus ſemper oſtenſuros quantæ ſibi curæ populi leuatio eſſet. Subiunxit his idem Archiepiſcopus Lugdunenſis, ſibi eſſe quod nonnullorum qui in conuentu eſſent Prælatorum nomine cum ipſis expoſtularet, de quodam ſcilicet Chauueau, qui ſe Eccleſiaſticum diceret, ac hæreſim publicè pro cõcione doceret, de ſummo etiam Põtifice ac ei9 autoritate pro ſuggeſtu detraheret.

Quoad Miniſtros qui inter eos eſſent, ipſi viderent; verùm pati vt hæc ille in Catholici concionatoris veſte, ſuperpellitio indutus faciat, rem eſſe nimis fœdam nimíſque offenſionis plenam. Hìc Archiepi-

ſcopus Bituricenſis, reſpondit ſatis eſſe, ſi præcipua capita ſcriptis mandata legerentur. Quoad Druidas, de iis ſe acturos. Quòd denique ad Chauueau, ſi teſtes eſſent, curaturos ſe eſſe vt inquireretur, in eóſq; qui noxij eſſent, animaduerteretur. Scriptum autem quod dederunt hoc fuit.

Cùm prioribus noſtris Congreſſibus, de iis quæ gratiæ recõciliationem inter nos impedirent difficultatibus, & pacis communi voto paríque neceſſitate, quæ niſi ſub Rege legitimo, ac eo ad quem lege Regni ea autoritas pertineat, eſſe non poteſt, ageremus: vos, viri clariſſimi, obteſtati ſumus, vt vobiſcum ipſi repeteretis, qua patientiæ ac modeſtiæ laude, veteres illi Chriſtiani ſupremis Principibus ac Magiſtratibus ab eis conſtitutis ſemper paruiſſent, etſi paganis, ac eorum, qui Religionem Chriſtianam profiterentur, hoſtibus atque perſecutoribus: quæ eorum patientia non ab exiguo eorum numero, aut viriũ imbecillitate proficiſceretur, ſed à Scripturæ Sacræ documentis, & à Sanctorum Patrum cohortationibus ac exemplis. Vobis nihilominus ſignificauimus, quoad Regẽ attinebat, qui nobis Dei voluntate datus eſſet, nos meliori lõgè quã illos eſſe conditione: quódque omnes Religionis cauſa cuperemus, nos id Dei aſpirante gratia

nobis polliceri, cùm id in ſuo ad Coronã aduentu ſua Maieſtas recepiſſet, multiſque deinde ſignificationibus ac declarationibus, quòd eius rei vias inire vellet, oſtendiſſet; quod Marchionis de Piſani ad Summum Pontificem Legatio ſatis teſtaretur, quæ etſi alio quàm ſuæ Maieſtatis nomine, non tamen ſine eius conſenſu ac deſiderio miſſa eſſet, vt ab ipſa non immeritò miſſa haberi poſſet. Eodem pertinere, quòd ipſius permiſſu ac voluntate, in veſtrum ſermonem ac Congreſſum venimus, quo loco vos precati ſumus, & per Dei nomen obteſtati, per veſtrum denique in Religionem Catholicam, & huius Status ſalutem ac pacem, præſtans ſtudium, vt veſtra cum noſtris vota coniungeretis, quòd in ea eſſemus opinione, fore vt cùm ſuæ Maieſtati communi conſenſu eſſet ſupplicatum, ne longiùs tam piæ voluntatis effectum protraheret, quam illi animo ſedêre crederemus, eò faciliùs ad eam ſuis ſubditis accelerandam lætitiam excitatum iri, quòd hanc expeditam fore ad pacis viam cognoſceret, quam adeò neceſſariam ad Religionis Catholicæ conſeruationem putamus eſſe, & ad ſedandos tumultus ac calamitates finiendas, cum quibus hoc Regnum tam miſerabilem in modum conflictatur.

Hæ ſunt quibus apud vos primo loco vſi ſumus

ſumus preces, non aliæ, nec alijs conditionibus: & quoniam quæ à nobis apud vos ſunt dicta, ea locis compluribus aliter quàm noſtra mens eſſet, accepta eſſe cognouimus; viſum eſt nobis ea paucis verbis ac breuiter complecti, conſultúmque eſſe, vt ea vobis in ſcripto traderemus, ne qua in cuiuſquam animo dubitatio relinquatur eius, qua in hac re vti voluimus, ſemperque vti volumus, ſinceritatis.

Non poſſumus etiam, quin ad ampliorem eorum, quæ inter nos hac in parte geſta ſunt, intelligentiam, dicamus, nullum nos aliud à vobis reſponſum referre potuiſſe, niſi quòd Suæ Maieſtatis Conuerſionem, nobiſcum vnà cuperetis, ac de ea lætaremini: verũ non poſſetis vos in eius vtilitatem quicquam ideo nobiſcum paciſci aut agere, donec hac de re Sanctitatem ſuam conſuluiſſetis, cùm in hanc rem, cum nonnullis Scripturæ locis, Status etiam rationes proferretis, quæ, vt vos quidem dicitis, ad veſtrarum partium conſeruationem pertinent, quibus defenditis non poſſe vos plura ſuper ea poſtulatione dicere.

De quibus cùm ad Principes & illuſtres viros, quorum huc nomine venimus, per duos ex noſtro numero perlatum eſſet, cùmque omnia ſuæ Maieſtati fuiſſent expoſita, in eam tandem

piam animi ſententiam venit, quam nos vobis iam tùm ex 17. Maij die, ſcripto tradidimus, quod eius rei vobis fidem faceret, quam nos antè ſperare diceremus; Eo nos ſcripto breuitatis cauſa ſtabimus, cui nec quicquam addere volumus nec poſſumus.

Nunc id vobis dicendum ſupereſt, vbi ea accepimus, quæ poſtremo congreſſu noſtro, veſtro omnium nomine Lugdunenſis Archiepiſcopus ad illud, quod dederamus, ſcriptum reſpondit, de ijs nos quoque ſuam Maieſtatem, alióſque Principes ac nobiles qui illi adſunt feciſſe certiores, cùm ex nobis duo abijſſent qui omnium nomine id munus obirent.

Veſtra reſponſio duobus præcipuè capitibus continetur: quorum primo voluptatē eam ſignificare pergitis, quam ex Regis ſincerè facta conuerſione capturi eſtis, hoc interim teſtimonium nonnulla, quam oſtēditis, diffidentia eleuantes, quòd ab illa Declaratione, ſuam Maieſtatem, in exercenda, vt prius ſolebat, Religione ſua perſeuerare didiceratis.

Hoc vt vobis ita eſſe demus, vt dicitis, cum ijs tamen, quæ vobis ſcripto dedimus, pugnare non reperietis, neque cum ſuæ Maieſtatis promiſsis, quæ cæteroqui fidei laudem ac opinionem multis ſibi argumentis comparauit, éſtque

in militari candore ac ſimplicitate vllo ſine in verbis rebúſque alijs fuco educata.

Cuius ſi actiones calumniari nonnulli voluerunt, ſi aliud ille clauſum geſsiſſet in pectore, quàm vt id perficeret atque obſeruaret, quod tam diſertis verbis recepiſſet, atque confirmaſſet, nimirum vt ſe erudiendum traderet, ſuíſque ſubditis quoad Religionem ſatisfaceret. Nunquid ei, eorum quæ agit loco, cōſilia artéſque defuiſſent, ad aliquas exteriores actiones edendas, quibus ſe ab illa Religione eſſe alienum perſuaderet?

Verùm ab omni artificio remotæ rationes, quibus in hunc vſque diem vſa eſt, fidem omnibus facere poſſunt, eum, id quod ſemel receperit, ſanctè, eſſe fidéque bona perfecturum. Nec Clodouaus Rex, nec Imperator Conſtantinus Magnus, quod in animis ſuis de Religione Chriſtiana fixū habuerunt, id primo Regni die patefecerunt. Quod quamuis in Suam Maieſtatem non conuenit, quòd legem illi paganam obſeruarent, Sua verò Maieſtas Chriſtiana eſt, ſeiuncta duntaxat à Fide ac Religione noſtra quibuſdam erroribus, à quibus vt reuocetur enitendum eſt: Tamen alienum non videtur ea de re commemorare vt intelligatur, mutationes in quibus non conſcientia modò, verùm etiam

exemplum agitur, perſonarum præſertim eius dignitatis, in momento fieri non poſſe, ſed formas ac rationes neceſſarias præire oportere.

Alterum reſponſionis veſtræ caput oſtendit nullum vos, niſi ex ſuæ Sanctitatis iudicio, nobiſcum fœdus inire poſſe, nec ſuæ Maieſtatis conuerſionem vos vllo modo probare poſſe, niſi poſtquam de ea ſua Sanctitas iudicarit, eámque approbarit.

Cui loco reſpondemus neminem magis, quàm Principes cæteróſque illuſtres viros, quorum nomine his de rebus agimus, & cum quibus nos coniuncti ſumus, vt Summo Pontifici ac Sanctæ & Apoſtolicæ Sedi honos habeatur, velle: & quamquam nihil ab illo profectum in vos hactenus vidimus, niſi ſummam beneuolentiam, hominũ, conſiliorum, cæterarúmque omnium rerum in hoc bello ſuppetias; in nos contrà omnem offenſionem experti ſumus: non id tamen eorum quos referimus mentem mutauit, vel id eis ſummum deſiderium ademit, quo ſemper fuerunt, & quod perſeueranter in eis eſt, cum ſua Sanctitate in gratiam redeundi.

Repulſa vel potius ſeueritas, ſi nos ea ſic loqui patitur, quam ſuæ Sanctitati debemus, reuerentia, quam Marchionem de Piſani experiri contigit, quem ille nec videre voluit, nec quæ

ab ipſis haberet mandata audire, de ſuo in ſuam Sanctitatem Sanctámque Sedem ſtudio nihil omninò detraxit. Etenim didicerunt, planéque ſibi perſuadent, non id ex malo in eos animo cõtigiſſe: Verùm quod ex veſtris miniſtris nonnulli, cum ea importunitate ac teſtificatione obſtiterunt, vt ſua Sanctitas Hiſpanorum præterea adacta Tyrannide, commemoratum Marchionem de Piſani ſic excipere ac tractare ſit prohibita, vt eius legatio dignitáſque merebatur; quod tamen facturam tandem nobis pollicemur.

Quòd ad ſuam Maieſtatem attinet, niſi ipſius conſcientia ſuáque de arctiſsima cum Summo Pontifice Sanctáque Sede coniunctione appetenda deliberatio; opinio etiam quam de ſuæ Sanctitatis ingenio ſincero concepit, quem optimum principem, & publici Chriſtianorum otij ſtudioſum didicit, certò illi ſuaderent propenſam illius fore ad huius Regni ſalutem ac pacem voluntatem: non deſunt præteritarum ſignificationum actionúmque nomina, ex quibus ſatis iuſta cauſa ſuppeteret, qua ſi cum Sanctitate ſua non ageret, factum ſuum hominibus probare poſſet. Verùm ſinceram ſuæ Maieſtatis mentem ſuperiore vobis ſcripto apertè teſtati ſumus, ſuis qui Catholici eſſent ſubditis, quoad Religionem

ſatisfaciendi, & quoad debitam ſuæ Sanctitati obedientiam ac reuerentiam ita ſe gerendi, vt Regem Franciæ par eſt, primogenitum Eccleſiæ filium, Chriſtianiſſimum, maximéque Catholicum. Hoc nos iterum vobis teſtificamur, vt qui ſuam Maieſtatem in eadem ſciamus voluntate perſiſtere. neque vobis dubium eſſe debet, quin cùm in votis habeat, vt cum ſua Sanctitate arctiſſimè ſeſe coniungat, eas quoque rationes ineat, quibus ad tam piam reconciliationem peruenire oporteat.

Quem in finem ſua Maieſtas, quod vobis iam ante notum fecimus, ſuæ ſtirpis aliíſque Principibus, non paucis Eccleſiæ Prælatis, in Theologiæ facultate Doctoribus, ſuæ Coronæ Magiſtratibus, aliíſque huius Regni viris illuſtribus, vt adeſſent mandauit: præcipuis etiã magíſque inſignibus ſupremarum ſuarum Curiarum viris, quòd de Dei pietate ac gratia, & ſapientiſſimis quæ à tam celebri Conuentu proficiſcentur, conſiliis, tam piam támque prudentem de ſua conuerſione & abſolutione deliberationem ineundam eſſe confidat, vt Suæ Sanctitati ſatis, aliíſque Principibus Catholicis, ſit factura; certóque habeamus neminem fore, qui quidem Religioni Catholicæ & huic Coronæ benè cupiat, qui illam vel poſſit vel velit prohibere.

Porrò quæ in hoc Regno omnes cernimus adeóque patimur calamitas, cum ſummo bonorum omnium dolore ac deſiderio, quámque nemo verè Francus ſine lachrymis poteſt intueri, nos ad omnes, quoad eius fieri poteſt, inueſtigandas rationes debet incitare, & ad vrgenda accelerandáque remedia, quæ integram patriæ ruinam poßint auertere; quæ cauſa eſt cur ſua Maieſtas ſuam de induciis concedendis piam deliberationem, vobis per nos ſignificatam voluit, ad quam ſi nolitis animos adiungere, priúſquam ad ea, quæ propoſuiſtis, abundantiùs ſit vobis per nos ſatisfactum, quàm nos facere ex æquo poßimus, ac debeamus: æquiſsimus vtrorumque iudex Deus perficiet profectô, vt per quem ſteterit, quiſque cognoſcat, ac in quem conferri debeat illius boni atque leuationis dilatio, quam ſecum attuliſſent induciæ, quæ nobis vtilem ac diuturnam pacem poſſent adferre. Actum xi. Iunij. 1593.

Ita ſignatum,

R. ArchiepiſcopusBituricēſis, Chauigny, Bellieure, Gaſpard de Schomberg, Camus, de Thoul, & Reuol.

Dominica inſequenti, peracto Miſſæ Sacrificio, relatum lectúmque eſt illud Scriptum, déque eo deliberatio in diem craſtinum qui Iunij 14. reiecta eſt. Et quoniam artificioſam imprimis in eo repetitionem inſtituebant, qua priores propoſitiones inuoluerunt, vt ad eas quibus plus ineſſe putabant rationis, tranſirent, exiſtimatum eſt nullum adferri poſſe magis idoneum reſpõſum, nullámque magis ſinceram ac efficacem eloquentiam adhiberi, quàm ſi ipſa eorum oculis ſubiiceretur veritas fideli narratione, quam de Comitiorum mandato nõnulli quàmcitiſſimè fieri poſſet, contexerent, & in huius compendij locum omnem ex ordine ſermonem ſine diſsimulatione explicarent. Ad alterum caput, ſatis conſtabat, cùm ex illius ſcripti cõtextu, tùm ex pręcedentis colloquij relatu, futuræ cautelæ teſtificatione, non aliò eos tendere, nihilque ſpectare aliud, niſi vt in apertum ſchiſma hoc Regnum præceps agerent, & aliquod contra Sanctæ Sedis autoritatem, quam iure formidant, audax facinus tentarẽt. Sed quoniam huic loco Deputati ſatis reſponderant, & opportunas ad id prohibendum

monitiones

monitiones adhibuerant, viſum eſt incaſſum tempus in aliis dandis reſponſis impenſum iri. Atque vt apertiora eſſent futurarum conſilia cautelarum, quæ cum prçteritis aptè cohçrerent, ac præclaræ illæ voluntates, quas ad reſtituendam ſtabiliēdámque Catholicam Religionem ad iſtas congreſſiones ſe afferre prædicabant, liquidiùs conſtarent, illius promiſſionis eodem tempore recuperatum eſt exēplum, qua ſuam Hçreticis fidem obſtrinxerant, nihil ſe in reformatæ (quam appellant) Religionis prçiudicium acturos, aut edictorum de libertate conſcientiæ: aut denique arctæ quæ inter ſe ac illos intercederet vnionis atque charitatis; dum conflatus ex vtriuſque Religionis viris conuentus haberetur, qui hoc Regnum in Angliç morem inſtaurarent, quod pactum non alio penicillo aliíſve egeat coloribus, vt ad viuum exprimatur, niſi vt legatur tantùm; quod ſine lachrymis atque ſuſpiriis ab iis fieri non poſsit qui ſint vt ore ſic corde Catholici, cùm eas videant cum Dei hoſtibus præclaras cōſociationes ac fœdera iniri, quæ nihil aliud ſint, niſi in Eccleſiam cōiurationes, ad eam eiuſmodi diſſenſio-

Ff

nibus Fideíque perturbationibus diſſipandam, Regnúmque in perpetuam calamitatem adducendum.

Sponſio Catholicorum Nauarraeorum cum Hæreticis.

Nos Principes, Coronæ Magiſtratus, aliíque de Regis Conſilio infra nominati, vt omnem ijs qui Religionis ſunt, quam reformatam appellant, dubitandi anſam præcidamus, ne quid fortè exiſtiment in eo colloquio quod nunc Surenæ habetur, inter Principum Delegatos, Coronæ Magiſtratuum, ac Catholicorum qui ſuam Maieſtatem agnoſcunt, ac eiuſdem permiſſu, & inter Pariſienſis Conuentus Deputatos, in dictæ Religionis præiudicium factum iri, ac eorum quæ ſuperiorum Regum Edictis illis indulta ſunt, donec pro ſtabiliendo retinendóque huius Regni otio conſilium capiatur, de Principum, Nobilium, aliorúmque primariorũ vtriuſq; Religionis Virorũ conſilio, quos ſua Maieſtas in hanc Mantarum vrbem 20. Iulij inſequentis die conuocare decreuit, omnes de eiuſdem ſuæ Maieſtatis permiſſione pollicemur, interea dum illud conſilium capiatur, nihil in illo colloquio à noſtrarum partium delegatis actum ac conceſſum iri in vnionis ac amicitiæ, quæ inter dictos Catholicos qui ſuam Maieſtatem agnoſcunt ac eos qui antedictam colunt Religionem, in eorum denique quorum

mentioſacta eſt edictorum præiudicium. Pollicemur etiam eoſdem qui Surenæ ſunt Delegatos de hoc noſtro conſilio promiſsóque certiores nos eſſe facturos, quòd ita fieri neceſſarium eſſe iudicemus, ne quid inter fidos dictæ Maieſtatis ſuæ ſubditos auerſionis oriatur, vt illi quoque ad hoc ſeſe conforment. In quorum fidem præſentes ſignauimus, 16. *Maij*. 1593.

Signatum,

Franciſcus d'Orleans, Comes de Sainct Paul, Huraldus Cancellarius, Carolus de Montmorancy, Meru, Rogerius de Bellegarde, Franciſcus Chabot, De Brion, Gaſpard de Schomberg, & Ioannes de Leuis.

QVòd ad inducias de quibus diſceptatum fuerat, illas neceſſe fuit admitti; ſed tot in eas ſpinæ ac difficultates occurrerunt, vt quid conſilij caperetur incertum eſſet. Communes Regni calamitates obſcuræ non erãt, populi inopia, Pariſiorum anguſtiæ, rerum qui tum erat ſtatus, ſolatium quod populo allaturæ eſsẽt induciæ, nullo interim harum partium detrimento, nullóque aduerſarrum emolumento. quin potius ampliſſimæ Regni ciuitates, cùm

liberiorem duxiſsēt ſpiritum, in re inſtituta firmiores permanſuræ videbantur. Alij id tanti putabant intereſſe, vt Religionē in certiſſimum diſcrimen adduci dicerent; ſolemne de pace induciiſque cum hæretico nunquam ſanciendis infringi Sacramētum; viam ad diſſipanda ſoluendáque comitia patefieri, eius denique quod tanto ſtudio expectabatur ſpē amitti, Regis ſcilicet, qui Chriſtianiſſimus eſſet atque Catholicus, electionis: exiſtimandum non eſſe cùm populus induciarum ac ſuorum cōmodorum quibus frueretur ſuauitatem deguſtaſſet, pacem deinde non ſummo ſtudio expetiturum. Acceſſit etiam ad alias difficultates Illuſtriſsimi Cardinalis Pelleuæi, qui Eccleſiaſtico Ordini præerat, grauitatis plena, ad ſingulos ordinū conſeſſus exhortatio, quibus idē Illuſtriſſimi Legati declarationē ac teſtificationem ſignificabat ad earum literarum ſententiam, quas ab eo acceperat, vt in Comitiis eas legi in eorúmque actis perſcribi curaret: ſcriptæ autem erant literæ in hunc modum.

ILLVSTRISSIME ET REVE- — rendiſſime Domine,

QVandoquidem ego valetudine impeditus, ipſe per me, publicos huiusce Regni Conuentus adire, & coràm alloqui nequeo; Illuſtriſſimam Amplitudinẽ tuam obnixè rogo, vt vicem meam implere minimè grauetur. Vnus ſiquidem ex omnibus occurris, qui pro tua ſingulari in Deum ac Patriam pietate, & pro eo etiam, quem meritò ampliſſimum in Eccleſia Catholica obtines, gradu, id efficaciter apud tuos, ſummáque cum dignitate præſtare poſſis. Ne quis igitur deinceps ignorare poſſit, quæ mea ſit, quibus de rebus nunc in ipſis Comitijs agitur, ſententia: Vniuerſis Ordinibus, quæ ſequuntur, meo nomine, Illuſtriſſima D. tua, ſi placet, ſignificabit. Quòd cùm hactenus in eo colloquio, quod multoties iam, cum eorum Catholicorum Delegatis, qui à Nauarræ partibus ſtant, repetitum eſt; fruſtra tentatum ſit, eos ab Hæretici ſocietate ſeiungere: cui nimirum ſe pertinaciùs, quàm antea inhærere velle non ſolùm declararunt, ſed etiam reliquos verè Catholicos, in eum errorem pertrahere conati ſunt, vt Hæretici iugum vnà ſubire, ipſúmque Regem ſuum agnoſcere vellent; aſſerentes,

Exemplum Literarum Illuſtriſſ. Legati.

ipſum, non modò ad Catholicam Religionem amplectendam, animum induxiſſe, ſed iam planè Catholicum eſſe; quibus & alia id genus multa ſubiungebant, vel falſa omnino, vel quæ ab orthodoxa Fide, & diſciplina, & ab eo, quod ſummo Pontifici, ſanctæque Sedi Apoſtolicæ debetur, obſequio, atque obedientia, maximè eſſent aliena: Cùm reuera conſtet Nauarram ipſum, nullam hactenus viri pij, Catholicíve ſignificationem dediſſe; quin potius omnia eius conſilia eò ſpectare videantur, vt quibuſcunque poteſt artibus, ac dolis, Catholicam, Apoſtolicam, ac Romanam Religionem oppugnet, ipſámque, Anglicano more, per totam Galliam penitus extinguat: Certè quidem hoc vnum apertè molitur, vt Chriſtianiſſimum hoc Regnum à Sanctæ Sedis fide, & communione, abducat, planéque Schiſmaticum efficiat: Eas ob res, mearum eſſe partium exiſtimaui, Vniuerſos Conuentuum ordines vehementer adhortari, eoſdémque obteſtari, vt cum iam ſe omnino ea ſpe deiectos videant, propter quam ſibi cum Catholicis, qui Hæretico obſequuntur, colloquendum putarunt; ab huiuſmodi Colloquio deinceps abſtineant; nullámque Hæretici apud eos, vel mentionem, vel rationem haberi (quod etiam ipſi Ordines iam

antea ſanctiſſimè decreuerunt,) vllo modo patiantur: Nam, cùm perſpicuum ſit, nulla alia re magis promoueri Hæreticorum res, atque vota, quàm ſi de Regni gubernaculis Hæretico relapſo deferendis quauis ratione agatur; profectò & illud quoque conſtat.non poſſe eam rem à quoquã tentari, quin eo ipſo in Cenſuras, & pœnas, contra hæreticorum fautores propoſitas incidat. Quæ omnia tametſi ipſos Ordines, pro eximia eorum prudẽtia, ſatis intellecturos exiſtimem, ac de ſumma eorum pietate, egregióque in ſummum Põtificem, Sanctámque Sedem ſtudio minimè dubitem; omninóque confidam, ex iis fore neminem, qui retectis iam Hæretici, atque eorum qui ipſi fauent, Catholicorum fraudibus, & peruicacia, rem vltra cum ipſis habere velit; tamen ne officio meo defuiſſe videar, id nunc apertè proteſtor: ſi ſecus, quod Deus auertat, factũ fuerit; eâ culpâ, quæ profectò foret grauiſſima, ſummum Pontificem vehementer offenſum iri: Qui quidem, licet Religionis cauſæ, quam totis viribus tuendam ſuſcepit, nunquam ſit defuturus, eos tamen nõ poſſet non deſerere, quos alio animo, quàm verè Catholicos deceat, in eandem cauſam incumbere ſentiret: Omnibus enim id perſuaſiſſimum eſſe debet, ſibi nulla vnquam ratione probatum iri, ſi quid cum

Hæretico relapſo, ſiue eius fautoribus, quoquo modo fuerit tranſactum: cùm nimirum ea ſpe inniti debeamus omnes, nunquam fore, vt diuinum auxilium eos deſtituat, qui bona fide Sanctiſsimam Dei Eccleſiam propugnabunt. Quæ cum ita ſint, me quoque Apoſtolicæ Legationis munere in hoc Regno fungentem, nihil omnino comprobaturum, quod aliqua ex parte, pijs ſummi Pontificis conſilijs repugnare videatur: imò verò ſi quid in poſterum, vel de pace, inducijs ve cum Nauarræo ineundis, vel de re alia quæ ad eius cõmoda quoquo modo pertineat, tranſigatur, me non ſolùm hac ciuitate, ſed totius Regni finibus ſtatim exceſſurum eſſe palàm teſtificor: Neque enim vllum eſt periculi genus, quod adire recuſem, modò ne in his locis indecorè conſiſtam, vbi pax, vel induciæ, vel alia eiuſmodi ineantur, quæ cum certiſsimo amittendæ Catholicæ Religionis periculo coniunctæ videntur. Quapropter Illuſtriſsimam D. tuam, etiam atque etiam rogo, vt Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac meo etiam nomine, omnes Prælatos, & alios cuiuſuis gradus Eccleſiaſticos, magnoperè horteris, vt qui hactenus Catholicæ Religionis viſi ſunt propugnatores fortiſsimi, tales perpetuò eſſe velint, ſéque veros, Sãctæ Sedis Apoſtolicæ filios, re ipſa cõprobent:

Nobiles

Nobiles verò ac reliquos tertij Ordinis viros, per viſcera Ieſu Chriſti Domini noſtri roges, & obteſteris, vt memores ſolemnis illius iuriſiurandi, quo non ſemel aliàs, & nuper etiam in his ipſis Comitijs fidem ſuam Chriſto, eiúſque Eccleſiæ obſtrinxerunt, nunquam fore, vt aliquid ſocietatis, vel commercij cum hæreticis haberent, nulla ſe ratione dimoueri patiantur ab ea conſtantia, quam in tuenda, retinendáque Catholica Religione, magna cum pietatis laude, hucuſque ſeruarunt. Porrò cùm ſummus, idémque ſapientiſſimus Pontifex ſatis intelligat, totam nobiliſſimi huiuſce Regni ſalutem, in vna Regis Chriſtianiſſimi electione contineri; Illuſtriſſimæ Dominationi tuæ in eo potiſſimùm elaborandũ erit, vt Sanctitatis Suæ nomine, Vniuerſos Conuẽtuum Ordines excitet, ac permoueat, ad eum tandem Regem maturè eligendum, qui non ſolum re, ac nomine Chriſtianiſſimus, veréque Catholicus exiſtat, ſed etiam ijs artibus, atque virtutibus polleat, quibus Hæreticorum furor, atque audacia facilè cohiberi, hæreſíſque ipſa funditus deleri poſſit. Hoc vnum eſt, quod ſua Sanctitas vrget maximè; quòd optimi quique Catholici votis omnibus expoſcunt; quod publica neceſſitas efflagitat, in quo denique omnem ſalutis ſuæ ſpem

afflicta Gallia collocaſſe videtur. Qua in re, & illud quoque prouidendum erit, vt ea prudentia, ac moderatione omnia gerantur, vt vniuerſi Catholici, & ex ijs præſertim primarij viri, ac Principes, qui pro fide Catholica, Apoſtolica, & Romana, contra Hæreticorum perfidiam hactenus fortiter pugnarunt, vel alia quauis ratione Regnum iſtud amicè iuuerunt, quæcunque Ordines ipſi decreuerint, ea omnia ad Religionis Catholicæ tuitionẽ, Regníque ſalutem, & incolumitatem fuiſſe decreta planè intelligant; ijſdemq́ue decretis haud grauatè aſſentiantur. Sed quemadmodum confido, ipſos Ordines, nullum à ſe pij animi officium deſiderari vnquã paſſuros; ita Sanctitatis Suæ, atque adeò Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nomine, ipſis polliceór omnia adiumẽta, quæ ab amantiſſimo patre, in tantis filiorum calamitatibus ſunt expectanda. De me denique id Ordinibus ipſis Dominatio tua Illuſtriſsima confirmet magnoperè velim; me, quæcunque Religioni Catholicæ, Chriſtianiſsimíque huius Regni commodis, ſaluti, dignitatíque conducere arbitrabor, ſummo cum ſtudio ſemper eſſe facturum. Pariſijs, die 13. Iunij, M.D. Lxxxxiij.

PHILIPPVS CARDINALIS
PLACENTINVS LEGATVS.

Quæ illuſtriſsimi Legati admonitio deliberationi de inducijs moram attulit, tùm ob eiuſdem Cardinalis reuerentiam, tùm ob honorem quem vniuerſus ille Conſeſſus Sanctæ Sedis de latere Legato habuit, in re præſertim, quæ ad Legationis ipſius munus pertinebat. Poſtea tamen re ſæpius in conſultationem adducta, de ea ita Nobilitas cenſuit, paciſcendas eſſe quamprimum inducias ad id temporis ſpatium, iis conditionibus, quæ Exc. Duci Meduano viderentur, eidémque eſſe ſupplicandum, vt eas Illuſtriſsimo Legato, ac Regis Catholici miniſtris probari curaret, cùm iuſtas earũ cauſas eſſe docuiſſet. Tertio Ordini placuit eiuſdem Ducis arbitrio rem omnem permitti, qui cùm rerum ſtatum cognoſceret, facilè etiam an vtiles eſſent, ac neceſſariæ iudicaret, modò etiam Illuſtriſsimum Legatum, ac Regis Catholici miniſtros in conſilium adhiberet. Ordo denique Eccleſiaſticus declarauit ſe à ſanctis, quas Illuſtriſsimi Legati literæ continerent, cohortationibus monitíſque non poſſe diſcedere, nec vllas cum Hæretico inducias pactáque approbare. Illuſtriſsimus verò Legatus tantùm abeſt, vt indu-

ciis aſſenſum præberet, vt etiam cùm de iis agi penéque concludi reſciret, aliò ſe conferre, quod ſe facturum publicè teſtificatus eſt, decerneret. Quæ res in cauſa fuit vt Comitiorum conuentus magnum Prælatorum numerum, & ex aliis duobus Ordinibus præcipuos ad illum delegaret, qui ne vrbem Regni Principē deſereret, precibus apud eum contenderent, quæ præſertim de Religione tam præclarè meruiſſet, vtque illud cogitaret, quantùm ipſius diſceſſus eiuſdem ciuitatis ſtatum, ac proinde totius Vnionis corpus, cuius illa cor eſſet, percelleret; per omnē Galliam breui diſſeminatum iri, quòd diſſentio inter eos eſſet, quos arctiùs quàm vnquam coniunctos eſse oporteret, quæ res piorum Catholicorum infringeret animos, malóque Comitijs omini eſset, quibus contrà, plurimùm ex ipſius in hac vrbe conſpectu, acceſsurum eſset roboris, ad inueſtigandum pium aliquod de his rebus, ac ſalutare conſilium, quarum imprimis cauſa coïre contigiſset: de quarum etiā felici exitu ſpem bonam concepiſsent, cùm neque Principum, neque Comitiorum mutatæ eſsent vllo modo voluntates. Hanc orationem

Illuſtriſsimus Cardinalis Pelleuæus magna vi ac grauitate habuit, multis alijs pulcherrimis doctiſsimíſque auctam ſermonibus, quos ille tum de eo quod dictum eſt argumento, tùm in aſserenda Comitiorũ de Sacro-ſancto Tridẽtino Concilio recipiendo preclara voluntate inſtituit; quibus in illo veneranda canitie viro, & honore ac doctrina cumulato, magnus in Dei gloriam & huius Regni ſalutẽ zelus elucebat.

Illuſtriſsimus Legatus reſpondit ſibi moleſtum accidere, quod non ea vi dicendi præditus eſset, quæ ad gratias ornatiſſimo illi cœtui, & Cardinali pro tanto honore habendas, ſufficeret, in re præſertim quæ tanti ponderis eſset ac momenti: dolere ſe quod ipſum anteuertiſsent, cui propoſitum eſset ſuum cum Comitijs conſilium, vt par erat, cõmunicare. Nunquam Summi Pontificis & Sanctæ Sedis mẽtem fuiſse, neque verò ſuam voluntatem, vt vel Regni defenſionem, vel Franciæ cauſam deſereret, ſed tantùm vt in eum locum ſe reciperet, vbi maiori cum vtilitate, minoríque eiuſdem Summi Pontif. ac Sanctæ Sedis dedecore, ad vtrunque promouendum incumberet: præſertim quòd

præcipuam ſibi hîc hærẽdi cauſam in præſentia ſublatam eſſe cognoſceret, quæ erat Regis electio, prouectióque ad regnũ; quæ ipſa præcipuum ei fuiſset, vt Comitiis adeſſet, argumentum, iuxta Legationis ſuæ mandatum. Cùm ob copiarum defectum obſidionem timeri didiciſset, & nullam niſi de inducijs, de pace, de quadam etiam ficta ac perſonata Cõuerſione mẽtionem fieri; quódque ob eandem virium imbecillitatem, via in præſenti ad illam electionem eſset præcluſa, non putare ſe ad aliam ferendam obſidionem obligari; ſed vtilius fore, magíſque è muneris quod gerebat dignitate, perſonæ etiam quam referret authoritate, vt in remotiorem ſe aliquem locum reciperet, ne ad ipſius aures prædictarum rerum, aliarúmque multarum, quæ indignæ eſsẽt, miniméque conſentaneæ, mentio perueniret: quòd vires denique & opes ad inducias prohibendas non haberet: Teſtatus eſt ſi de commemorata electione agendum eſset, ignem ſe, ferrum, martyriúmque ipſum non formidaturum, ſed ea, pro muneris quod gerebat ratione, libenter eſſe ſubiturum: alteram etiam obſidionem non grauatè la-

turum, quod Dei gratia iam feciſset, vbi rerum ſtatus ita poſtularet.

Nihilominus, ſe illos qui adeſsent orare, vt crederent, nullum ſe conſilium initurum fuiſse, niſi cõſcio ac probante D. Duce Meduano; & quin illud cum Comitiis ipſemet communicaret: ſperare ſe, Dei aſpirante gratia, quòd eam hoc loco maturitatem prudentiámque adhiberet, quam rei magnitudo exigeret. Poſtremò quoniam ab Illuſtriſſimo Cardinale Pelleuæo de Tridentino Concilio habita fuerat mentio; hanc ſubinde occaſionem arripiens, graui in primis ac copioſa oratione trium Ordinum Delegatos hortatus eſt (quod etiã aliàs ſæpe cùm publicè tum priuatim egerat) vt ipſius Concilij receptionem maturarent; curaréntque ſedulò, ſi modò Catholicæ Religioni ſimúlque ſuæ ac Patriæ ſaluti, bona fide conſultum vellent, vt, quæ in eo ſanctiſſimè decreta fuerant, vbique obſeruarentur.

Quæ cùm ad Comitiorum cõuentum perlata eſsent, quæ Legati voluntas eſset, certò ex eis colligere non licuit, cúmque repẽtinus diſceſsus timeretur (de quo iam rumores in vulgus exierant, qui Catholi-

cos vehementer commouebant) paucis pòſt diebus, alia ad eum à Comitiis Legatio in eandem rem miſsa eſt, in qua præter prædictas rationes, alia quoque permulta incommoda, quæ illius diſceſsus allaturus eſset, R. Archiepiſcopus Lugdunenſis expoſuit: rogauítque ne importunitati adſcriberet, ſi eadē de re iterum Comitiorum nomine ei ſupplicaret: Diuinam quoque Maieſtatem ſæpenumero velle noſtras ad eam preces ingeminari, priuſquam eis annueret. Illuſtriſsimus Legatus, cùm eaſdem quas antea gratias egiſset, commemorauit quoque D. Ducem Meduanum eo ipſum honore affeciſse, vt de eadem re ſecum ageret; feciſse hoc præterea ſuæ Maieſtatis Catholicæ miniſtros, omnéſque Ordines huius ciuitatis. Quare cùm, celebrem iſtam ac repetitam interceſsionē videret, quam non importunitati ſed ſummo honori ac gratiæ adſcriberet, quodammodo ſe cogi ſentiret, vt tot ſalutaribus conſiliis aſsentiretur. Et quidem poſtremis Roma acceptis literis, quæ vndecimo Iulij datę eſſent, quáſque illi veredarius in hāc rem miſſus reddidiſſet, paulò liberiorem ſibi factam eſſe remanendi
poteſtatem:

poteſtatem: cupere ſe, primo quoque die, Comitiorum conuentui omnem ſuorum conſiliorum rationem exponere. Interea bona ſpe eſsēt, Deum ſe, vt illos ſua ope ac benedictione impertiret, orare.

Ita D. Dux Meduanus ſapientiſſimus ac prudentiſſimus Princeps, de cæterorum Principum conſilio, Virorum Illuſtrium ac Comitiorum, generales toto Regno inducias, per omnes terras atque ditiones, quæ ſub ipſius eſſent protectione, in tres mēſes paciſci ſtatuit: non quod, id ex colloquio cum hoſtibus habito, ſibi placeret, ſed tantùm quòd publica ſalus, populi quies ac leuatio, in quarum rerum voluntate nemini concedere velit, aliæque graues cauſæ id poſtularent. Itaque etiam alios ſuo nomine, qui de induciarum articulis ac cōditionibus agerent, deſtinauit, quàm qui præcedenti colloquio adfuiſſent, nimirū D.D. de la Chaſtre, de Roſne, de Baſſompierre, de Villeroy, Præſides Ianin & Dampierre. Cúmq; in Comitiorum conuentu, quæ illum, ad inducias induxiſſent, cauſas exponeret, teſtatus eſt dolorem ſuum, quòd de optata electione tranſigi non potuiſſet; cùm ea præſertim

à ſuæ Maieſtatis Catholicæ Legatis oblata eſſent, quibus ſe illi obſtringi, vt ampliſſimo, qui eius familiæ euenire potuiſſet, honore habito faterētur. Verùm, quod facilè eſſet iudicare, non eo res tùm eſſe loco, vt id agi poſſet. Et ſanè generalis illius conuentus is ſemper ſcopus fuerat, is finis, quē Delegatorum à Prouinciis mandata, ſumma conſenſione, ſpectarent, Summi Pontificis ac Sanctæ Sedis votum atque deſiderium, aſſiduarum Eccleſiæ orationum argumentum, omnium denique vota Catholicorum, tanquam ſupremum poſt Deum remedium, ad tuendam inter tot procellas ac tempeſtates à naufragio Religionem, & hoc Regnum velut à ſepulchro, in quod id Hæreſis pænè infodiſſet, eruendum. Illúdque populus Chriſtianus magnopere metuebat, ne ſe tāto bono videret orbatum, ſi de eò deliberatio lōgius extraheretur, tā præclara præſertim occaſione, quā ſpes adferebat de maximis duobus imperiis, quæ Chriſtiani orbis quaſi cardines & columina eſſent, affinitate iungendis; quæ res ei pacem ac tranquillitatē, Fidei hoſtibus terrorem, Hæreſi perniciē; Galliæ denique omnis felicitatis initium

attuliſſet. Verùm, ſiue quòd Dei ira, huius Regni peccatis prouocata, nondum reſediſſet; ſiue quòd hoc opus in aliud tempus differre ad maiorẽ ſuæ gloriæ ac ſuorum prodigiorum oſtẽſionem decreuiſſet; ſiue ob alia ſuæ Prouidentiæ arcana, omnibúſque obſcura iudicia, res eo tum eſſe loco non paſſus eſt, vt ad exitum finémque ſuum peruenirent. Et quaſi ſuorum vellet, ad ſupremos vſque tentationũ ac ærũnarum gradus, conſtantiam fidémque experiri: ecce noua res ſub id tempus incidit, quæ Illuſtriſſimo Legato emittendarum literarum occaſionem attulit, quarum ad oppidum Sancti Dionyſij exemplum 24. menſis die tranſmiſit, vt in Epiſcoporum ac aliorum Eccleſiaſticorum, qui in eo cõuenerant manus deuenirent.

Litteræ Illuſtriſſ. Legati ad omnes Regni Catholicos.

PERLATVM eſt ad nos Henricum Borbonium, qui ſe Franciæ ac Nauarræ Regem inſcribit, Prælatos quoſdam, & alias perſonas Eccleſiaſticas ex eorum numero, quos ſibi hactenus obſequentes habuit, ad ſancti Dionyſij oppidum conuocaſſe, inuitatis etiam illuc nonnullis ex ijs, qui à partibus ſtant Catholicorum, ea potiſſimum ſpecie, & prætextu, vt ipſum ab eo

anathematis vinculo, quo ab Apoſtolica Sede nominatim eſt ligatus, abſoluant. Quod quia in errorem facilè inducere poſſet eos præſertim, qui imbecillioris ſunt iudicij: idcirco muneris noſtri eſſe duximus, ne quis ignorantiæ cauſam prætexere poſsit, omnes, & ſingulos Catholicos admonere, quòd, cùm ſanctæ memoriæ Sixtus Papa Quintus ipſum Henricum hæreticum, in hæreſes relapſum, & impœnitentem, hæreticorumq; Ducem, fautorem, & defenſorem manifeſtum eſſe, ac proinde eum damnabiliter incurriſſe in ſententias, cenſuras, & pœnas ſacris canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis contentas, ac hæreticis, relapſis, & impœnitentibus debitas nominatim declarauerit: ad ſolum etiam Romanum Pontificem de eadem re cognoſcere, & iudicare omnino pertinet. Et propterea quicquid ſuper eo negotio à Prælatis huiuſmodi, aut aliis perſonis Eccleſiaſticis cuiuſcunque conditionis, dignitatis, ſtatus, & præeminentiæ fuerint, vel ab eorum quolibet attentatum, vel actum fuerit, id omne nullum, irritum, ac inane nulliúſque momenti fore: eundémque Henricum vi eiuſmodi abſolutionis, quæ à non habentibus poteſtatem ipſi forſan de facto impartietur, nullomodo abſolutum cenſeri poſſe, vel debere. Neque eos etiam, qui poſtea illi quauis ra-

tione fauebunt , minùs quàm antea ſubiacere pœnis, & cenſuris contra hæreticorum fautores promulgatis. Quamobrem omnes verè Catholicos, qui hactenus in tuenda , retinendáque Religione Catholica, Apoſtolica, & Romana conſtantes perſtiterunt, vehementer hortamur , ne ſe iis artibus, in re præſertim tam graui, & quæ tantopere, non ſolùm ad hoc Galliæ Regnum, ſed etiam ad vniuerſam Rempublicam Chriſtianam pertinet , decipi patiantur. Eos verò qui eidem Henrico hucuſque fauerunt, per viſcera miſericordiæ Dei monemus , ne erroribus errores ſuperaddere pergant , neque noui ſchiſmatis auctores vltra fieri velint, quos ab eo potius deſciuiſſe, fautoréſque Hæretici eſſe , iampridem deſiiſſe oportuit. De iis denique Eccleſiaſticis, quos è Ciuitatibus, quæ partes Catholicorum ſequuntur, ab ipſo Henrico accerſitos accepimus, tametſi confidimus neminem ex iis, vel ex quibuſuis aliis fore, qui ſe in illud oppidum transferat, quod Hæretici ditioni ſubiacet , eos tamen ea de re nunc quoque admonendos officij noſtri eſſe exiſtimauimus. Ne quis igitur eorum ad iſtiuſmodi conuentum accedat, pro auctoritate nobis ab Apoſtolica Sede conceſſa, palam inhibemus, eos vero qui ſecus fecerint, cõuentuique ſeu actui eiuſmodi intereſſe non du-

bitauerint, cum excommunicationis, & priuationis beneficiorum, ac dignitatum, quas forſan obtinebunt, periculo; id facturos denunciamus. Datum Pariſiis, die 23. Iulij, 1593.

PHILIPPVS CARDINALIS PLACENTINVS LEGATVS.

Verumenimuerò, in admonitionum iſtarum & prohibitionum, ac authoritatis Sanctæ Sedis contemptum, nuncius adfertur, Epiſcopos ac Eccleſiaſticos præcipiti quadã agendi ratione Regi Nauarrę in totius populi conſpectu, templi aditum reſeraſſe, ad Sacro-ſanctum Miſſæ Sacrificium admiſiſſe, atque vbi neſcio quod ſacramentum, Fideique profeſsionem edidiſſet, ab excommunicationibus ac cenſuris in eum tùm iure ipſo, tùm iteratis Sanctæ & Apoſtolicę Sedis iudiciis declaratis abſoluiſſe: valdéque prodigioſum viſum eſt inſtructionem, pœnitentiam, remiſsionem, ſatisfactionem, & abſolutionem vno ac eodem manè perfectam eſſe. Pariſienſibus Theologis ac concionatoribus eo die argumentum non defuit, qui Epiſtolam iis qui apud S. Dionyſium eſſent exponendam relinquentes, in Euan-

Rom. 8. Fratres debitores ſumus carni, vt ſecundum carnem viuamus.

gelio quod Eccleſia proponebat inſtiterunt: *Attendite à falſis prophetis, qui venient ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Id quod pro myſtico Sancti Spiritus documēto capiebant, vt ab ea conuerſione ſibi cauerent, & ſingularem ad hoc vigilantiam adhiberent. Admonebant quàm id periculoſum ſemper in Eccleſia viſum eſſet, lupis ouium pelle tectis aditū in ouile præbere: innumera in eam rem è ſacris Scripturis ac Hiſtoriis Eccleſiaſticis exempla proferebant; atque inter cætera Conſtantij ſecundi Imperatoris, qui cùm errorem ſolemni ritu eiuraſset, Romam etiam ſeſe contuliſſet, cúmque Summus Pontifex Vitellianus, Clerus, populúſque vniuerſus, cum publica lætitia illi exiiſſent obuiam, Sacra etiam loca viſitaſſet, extraordinariæ denique pietatis ſignificationē dediſſet, Romanam tamen poſtea ciuitatem templáque expilauit, maiorémq; paucis diebus, quàm triginta annis Barbari, cladem intulit. Georgij Boemorum Regis addebant exemplum, qui poſt emiſsam Fidei profeſsionem, in Regno collocatus Legatum in vincula coniecifſet: quos ta-

Matth. 7.

Nauclr. Gener. 21. Æn. Sylu.

men in argumentum trahere nollent; vt neque de interiori illius conuerſione iudicare, quod ad Deum ſolúmmodo, qui corda ſcrutatur pertineret. Verùm, rem tam charam adeóque pretioſam, cuiuſmodi Fides eſſet atque Religio, à noſtris acceptа Patribus, in diſcrimen adducere tàm incerto támque periculoſo pignore, nullis apertis certíſque pœnitentiæ argumentis; id eſſe nullo diuinę gloriæ zelo impelli, nullum pietatis ſenſum habere, noſtram ac immeritæ poſteritatis ſalutem negligere. In hac rerum perplexitate tutius eſſe ad Eccleſiæ ſe inſtituta conformare, cuius aperta eſſent notáque decreta. Nullam in hac conuerſione præcedētem animi præparationem ineſſe oſtendebant, nullum contritionis aut peccati execrationis eſſe veſtigium, nullum denique illius pœnitētiæ argumentum, quam Dauidem egiſſe legimus, Nabuchodonozorem, Theodoſium, Philippum 1. Henricum 2. Angliæ Regem, Comitem Tholoſanū, Fulconem Andegauenſem Comitē, alióſque permultos, quæ in iis multò magis erant neceſſaria qui lapſi eſſent iterum, tótque inconſtantiæ ac leuitatis dediſſent argumenta.

Contrà

Contrà verò plurimas ſigillatim notabant coniecturas, quibus conuerſionis illius fictionem ac ſimulationem indicarent. De ea, quam vſurpaſſent forma diſceptabant, quæ nihil ad eam accederet, quæ exigeretur, quæque ab antiquis Cōcilijs, Eccleſiæ decretis ac ſtatutis vſurpata eſſet. Sed de Epiſcopis ac Eccleſiaſticis prętenſis imprimis querebantur, qui eius ſcandali autores eſſent, docentes quanto ſe ſcelere obſtringerent, cum in Eccleſiæ, ac ſupremi illius Capitis autoritatem inſurgerent, pretioſam Iesv Christi veſtem peſtifero ſchiſmate diſcinderent, ſui miniſterij dignitatem prophanarent, innumeras quoque infirmas ac imbecilles animas offenderent, quibus cæcitatem inducerent, qui eis prælucere debuerant, quòd Dei populū diuiderent, adoratum in Bethel ducerent, Eccleſiam Gallicanam primogenitam filiā à matris vberibus, quę vniuerſa Eccleſia eſt diuellerent. Irritam hanc ac inanem eſſe abſolutionem pleriſque argumentis probabant, pręſertim quòd iis poteſtas deeſſet abſoluendi, qui eam ſibi re factóque vſurpaſſent; ídque tùm aperta notáque Canonum præſcriptione, tùm expreſſa ac

Heretici in cæna domini quotannu excom. ideo à ſolo Pontif. vel ab eius Delegatis abſolui poſſunt. C. Excommunic. de Heret. c. cum inferior. de maior.

ſpeciali eorum, qui ſuprema iudicia ac decreta protuliſſent, omnibus cuiuſcumque ordinis, dignitatis, ac autoritatis exiſterēt, *Bulla Xiſti.* interdictione. Seculares poteſtates eiuſmodi auſus non eſſe laturas, multo minus in Eccleſiaſtica Hierarchia id ferendum eſſe, in qua diſertis verbis præceptum *Rom.15.* *Cantic.7.* extaret, *Omnia ſecundum ordinem fiant in vobis*. Perturbationem id eſſe in Eccleſiam ruptis ordinibus inducere, quæ aciei benè diſpoſitæ perſimilis eſſet; omniáque in maiorem Babylonica confuſionem redigere: tantúmque abeſſe, vt id in eorum *c Frater noſter. 16. q. 1. c. Apoſtolica. de except.* fuerit poteſtate, vt neque Legatus id ſibi ſumere auſurus fuiſset: multò minus prohibitiones ac interdicta infringere, quæ *Graues cauſæ ad ſedem Apoſt. referuntur. c. inquiſitores. de hæret.* etſi non fuiſſent, rei tamen grauitas vt ad ſupremum Eccleſiæ tribunal remitteretur iure poſtulabat. Neq; interim illud omittebant, quòd illi Eccleſiaſtici prius, quàm alios abſoluerent, vinculíſque expedirent, abſolutionem à cenſura, excommunicatione & interdicto, quæ ipſi incurriſſent, expoſcere ac flagitare deberent; alioqui cæcum cæco viæ ducem futurum, vt ambo in eandem exitij foueam cadant. *Cæci & duces cæcorum*. Hoc eſſe, reum à con-

ſcio abſolui, Leproſum ab eo qui lepra laboraret curari. Neque verò ſatis promptum eſſe dicere, vtro ſe reſponſo commodiùs tuerentur; ſiue illarum ignorationem cenſurarum pretexerent, quæ nimis notæ eſſent, & ipſorum cõſcientiæ ſtimulis plus ſatis teſtatæ, ſiue cenſuras à ſuprema Eccleſiæ poteſtate promulgatas negligerẽt, ſéque à myſtico illius corpore ſepararent. Quandiu à ſtipite diuiſi, & à corpore diſtracti eſſent, nullam eis vitam, nullum influxum motúmque ad ſuas actiones muneráque obeunda ineſſe: omni iuriſdictionis ac poteſtatis ſpiritalis vſu priuari, qua, eiuſdem qui dediſſet authoritate mulctati eſſent. Eorum conuentus coniurationes eſſe, orationes blaſphemias: *oratio eius fiat in peccatum*: benedictiones anathemata, abſolutiones cenſurarum aggrauationes, ſacrificia denique, *tanquam panis luctus qui manducant ea contaminabuntur.*

Bulla Greg. xiiij.

C. Audiuimus. c. didicimus. 23. q. 1. C. Non oportet. c. non licet. 1. q. 1. Iſa. 1. Am. 1. Iniqui ſunt cœtus veſtri: Maledicam benedictionibus veſtris.

Pſal. 108.

Oſeæ 9.

Apoſtolorum Principem cùm futurum Succeſſorum, Clementis etiam, contemptum proſpiceret, decretum illud ſanxiſſe quod in illum canonem relatum eſt, *Si inimicus eſt Clemens alicui.* Diſtinct. 93. Quò paſtores doceret, vt ſe in eos deberent gerere, qui à Sancta Sede damnati eſſent, &

1. Ioan. 2. Exierant ex nobis, quia non erant ex nobis.

cum ea nõdum rediiſſent. Idem hæc poſtea ſubiecit; *Si quis cum his fuerit, qui Clementi reconciliati non ſunt, & locutus fuerit his, quibus ipſe nõ loquitur, vnus eſt ex ipſis qui exterminare Eccleſiam Dei volunt, & cùm corpore vobiſcũ eſſe videantur, mente & animo contra vos ſunt.* Reſponſuros ſe eſſe ad excuſationes eas, quas illi in vulgus ſparſiſſent, id tãtùm factum eſſe *ad futurũ cautelam*; id locũ habere poſſe *in foro occulto & interiori*: verùm quòd aliud ſpectaſsẽt ſatis declaraſſe: nec oportere *iacere retia ante oculos pennatorũ*. Sinceritate ad eam rem opus eſſe, non cautela; ſimplicitate, non arte; pijs de ſalute cogitationibus, non terrenis cõmodis Statúſque rationibus. Ad Eccleſiam properãti, via Regia ingrediẽdum eſſe; hoc eſt forma à ſanctis Canonibus ac Concilijs præſcripta, nõ per deuia, anfractus, ſemitáſq; incognitas, & aperto oſtio introeundum eſſe, eiúſq; permiſſu, qui claues habeat, nõ poſtico ac occultè. Vt nullũ aliud foret argumentũ, hoc tamẽ ad ſuſpicionem ingenerandã ſatis eſſe idoneum. illam etiã ridebant ſubtilem rationẽ, qua mortis periculum tanquã extremum eius articulũ interpretabãtur: Periculũ omnino ſpontaneũ, & quod ex iniuſta dãnatáq; actione ſuſci-

piatur, quod peccatũ augeat, tantum abeſt vt abſolutioni viã munire, iuriſve ſpeciem afferre poſſit. Vtvt res cederet, ſiue rei geſtę ordo ratus nõ eſſet, id fuiſſe Schiſmatis fũdamentum iacere, ſiue ratus eſſet, id ipſum magnũ Apoſtolicæ Sedis autoritatis contemptũ continere; latum ad cẽſuras ac excõmunicationes ridẽdas, Canones & Eccleſiaſticas conſuetudines pro nihilo habendas aditum patefieri. Hortabantur populũ, vt in firma Eccleſiæ Vnione obediẽtiáq; maneret, nec temerè ſe cõmoueri ſineret, eius cui animarũ cura cõmiſſa eſſet, voluntatẽ expectaret, qui Spiritus ſãcti fretus auxilio eos in ſalutis viã dirigeret, eíſq; ſplendidiſſimi inſtar ſideris in tam deuijs tenebris præluceret.

Prouinciarũ Delegati ad indagãdas miſeri huius ac infirmi Status ſaluti idoneas vias cõuocati, cùm tot támq; varia ſymptomata & caſus viderent; tãtiſper interquieſcere decreuerunt, dum huius criſeos curſum ac progreſsũ notarẽt. Dúmq; debilitatum & fractũ hoc corpus vires ac robur reciperet, quò ad ſumẽdam medicinã magis idoneum ac paratũ eſſet, quàm Deus ad illud priſtinæ ſaluti reſtituẽdũ opportuniorẽ eſſe inſpiraret, Deum nihilominus non-

Iuo Epiſt. 28. Qui ad vos venturi ſunt, in calliditate ingenij & venuſtate linguæ, impunitatẽ flagitij ſe impetraturos à ſede Apoſtolica promiſerũt: hac ratione ex parte vſuri, regem cum regno ab obedientia diſceſſurum, niſi Coronã reſtituatu, eúmq; ab anathemate abſoluatu. Non eſt meũ inſtruere veſtrã prudẽtiam, cuius potiſsimum intereſt delinquentium errata non fouere, ſed ferire. Si tamen aliqui ſubdoli euidenter ab vnitate matris ſuæ Eccleſiæ diſceſſerunt, qui iampridem mente diſceſſerant: conſoletur Sãctitatem veſtram diuinũ reſponſum, Reliqui mihi ſeptem millia virorum. 3. Reg. 19. &

illud Apoſtoli. 1. Corint. 11 Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, &c.

Pſal. 126.

dum placatũ eſſe agnoſcebant, & de illius tantùm manu curationẽ expectandã eſſe, non ab hominũ auxilio, qui ad illos vſque magnos Statûs Apollines ac Æſculapios fateri cogerẽtur, Niſi Dominus ædificauerit domũ, in vanum laborare, qui eã ædificẽt ac inſtaurẽt: & niſi ciuitatẽ regnũq; cuſtodierit, fruſtra vigilare, qui cuſtodiũt ea. Eam ob rẽ ad diuinã illius bonitatẽ recurrendũ eſſe, neque timendũ, vt hoc aliquãdo regnũ deſereret, qui tot prodigioſa ſuæ protectionis pręſentiæque ſigna oſtẽdiſſet, modo qui in illo ſpem ſuã collocarent, ijs cum zelo ac pietate quærendis ac perficiẽdis, nõ deeſſent, quæ ad illius honorẽ cultúmq; pertinerent. Hanc eſſe viam, quam ij eſſent ingreſſi, qui in reſtituẽdis, quæ afflictæ eſſent, Rebus publicis feliciter operã nauaſsẽt, vt in eis priùs Dei templum exſtruerent, quàm vllas ciuibus leges præſcriberẽt, altare antequàm ſoliũ ſtabilirẽt, ſupremũ Ieſu Chriſti Regis Regum in animas imperiũ antè agnoſci curarent, quàm humanã Regum, qui illius ſubditi eſſent, poteſtatẽ, qui ſuas de illius manu Coronas quaſi in feudũ accepiſſent. Hanc Ioas tempore viam initam, quo Regni ordines, priuſquã Regiam dignitatem ſtabilirent,

cum Deo fœdus, ſummo Pontifice Ioiada ſtipulante pepigerunt, *Pepigit Ioiada fœdus inter Deum & populum, vt eſſet populus Dei, & inter Regem & populum.* poſteàque Idolorum cultum abrogarũt, ac denique Coronæ Regníque ſtatui proſpexerunt. Sic Ioſiæ tempore in egregia illa Religionis Statúſque inſtauratione, Iudę ac Hieroſolymorũ comitia à fœdere cum Deo feriẽdo auſpicata fuiſſe, ſéq; Dei cultui imprimis fore deditos, ac eius mandatis obtemperaturos, ſpeciali ſe ac expreſſo ſacramẽto obſtrinxiſſe, atque in hac rerũ omnium inſtauratione, & rei tùm ſpiritalis tum tẽporalis emẽdatione, cùm populus Babyloniorum iugo expeditus eſſet coactis regni comitiis præteritarum cauſam ærumnarũ hãc eſſe cõfeſſi ſunt, quòd pręſtitũ Deo Sacramentũ fœdúſque violaſsẽt, idq; vbi legi ac publicari fecisſent, teſtificati ſunt. *Super hoc percutimus fœdus, & ſcribimus, & ſignant Principes noſtri, Leuitæ noſtri, Sacerdotes noſtri, & capita populi.* In hũc modũ fœdus cũ Deo nobis eſſe feriendũ, cum eóq; & cum eius Eccleſia redeundũ in gratiam, eius legem ac Sancti Spiritus iuſſa capeſſenda. Et pro primo illius fœderis capite Sacro-ſanctum Tridentinum Concilium recipiendũ

4. Reg. 11.

4. Reg. 23. Congregati ſunt omnes ſeniores Iuda, & Hieruſalem, &c. Ioſua 24.

Nehem. 9.

eſſe, quod reliquo ferè toto Orbe Chriſtiano receptum eſſet, cum magno gentis huius opprobrio ac dedecore, quam ſua in Eccleſiam pietate ac obedientia cæteris exemplo prçire oportebat, quçque hac ſua cũctatione in Schiſmatis ac diuiſionis veniſſet diſcrimen. Præclari etiam illius nominis, Chriſtianiſſimi, primogeniti Eccleſiæ filij ac protectoris amittendi, quod illa ſibi tãta cum laude partum ſceptri honori adiunxiſſet. Etſi verò nulla de Fide ac doctrina dubitatio difficultatem illam pariebat, ad eam tamen notam obliterandam has omnes ſuperãdas eſſe difficultates, quæ nullius momenti erãt, præ vtilitate quam illa receptio publicatióque allatura eſſet. Eam enim ad vtilẽ ſeriámque reformationem aditũ eſſe, qua Religio priſtinum ſplẽdorem ac integritatem recuperet, ſtirpitus euellantur hæreſes, paſtores in ouile reſtituantur, quorum abſentia lupi in illud ſunt ingreſſi, expurgetur Dei domus; ex eius adytis Simoniæ, confidentiæ, beneficiorum multitudinis dedecora, aliáque turpia ac indigna permulta, ne in ipſa quidem paganorum ſuperſtitione audita, tollantur. Non eſſe dubium quin ſua Sanctitas, ſi in Regni immunitatibus quicquam

eſſet quod poſſet iure retineri, cùm ei eade re ſupplicatum eſſet, haud grauatè aſsētiret: fore etiā perfacile ſub illius ac Christianiſſimi Regis autoritate, explicare priuilegia, Eccleſiaſtici ac ſecularis fori contētiones definire, ſola hui⁹ Status dignitate ſpectata ac omni procul ambitioſa volūtate poſita: amotis ijs ambagibus, quas hæretici, vt Sanctorū & Oecumenicorū Conciliorū promulgationē, quod ſemper egerunt, impedirent, ſumma arte cōmēti ſunt. Quibus de cauſis trium tādem Ordinum cōſenſū, ſacrum Cōcilium admitti placuit ſexto Auguſti, qui Seruatoris noſtri trāſfigurationi ſolemnis fuit; atque vt celeberrimo illi actui plus auctoritatis accederet, illius publicationem in proximum generalem Cōuentum reiiciendam eſſe viſum eſt, cui Illuſtriſſimus Legatus, qui ipſam receptionem ac publicationē ſummo ſemper ſtudio ſuaſerat, vt adeſſet, rogaretur, Exc. etiā Dux Meduanus, Principes alij, viríq; Illuſtres. Quò etiā huius Regni Catholicos cōfirmarēt, vt in ſeruādo vnionis ſacramēto, quod tā ſolemni ritu præſtitiſsēt, perpetuò perſeuerarēt, nec vllis rationibus atq; terrorib⁹ ab eo ſe abduci ſinerēt, donec ad ſuorum exitum cōſiliorum, Deo iuuante,

peruenirent, vt ſcilicet ſolam, veram, vnicámque Religionem omninò reſtitutam videant, & ab omni hæreſeos ſimulatione, & Atheiſmi periculo liberam: quod vnum eſt illius, quam inter ſe cõtraxerunt vnionis ac coniunctionis argumentum. vt eos etiã de Comitiorum cõtinuatione certos facerent, quo idonea ad rem cõſilia ac deliberationes inirent; ſacramentum illud in eodẽ conuentu renouare viſumeſt, in eum qui deinceps dicetur modum. Quæ quidem acta Sacramenti ac Publicationis, ad huius narrationis finẽ adiecta ſunt; ex quibus qui rerũ ſtatus fuerit Catholici diſcãt, quidque in iiſdẽ Comitiis ex illius Colloquij occaſione actum ſit, donec in mediũ multæ magníque ponderis res aliæ in iiſdẽ actæ Comitiis referantur, cùm idoneum tempus locúſque fuerit.

CONVENTVS GENERALIS diei Dominici, 8. Auguſti.

Propoſitio D. Ducis Meduani.

IN hoc conuentu Excellentiſſimus Dux Meduanus elegantem ac diſertam propoſitionem inſtituit: quippe qui inter cæteras pleraſque dotes, hac etiam dicendi facultate à Deo eſt ornatus: Comitiorum Delegatos de ſuorum ſinceritate conſilio-

rum certiores fecit, quæ non aliò vnquam ſpectarẽt, niſi ad gloriam Dei promouendam, & huius regni ſalutem procurãdam; viſum eſſe, quandoquidem ob multas grauéſque rationes, de rerum ſumma nihil tam ſubitò poſſet conſtitui, Delegatorum nõnullis abeundi poteſtas fieret, qui Prouinciis omnia vt acta eſſent, exponerent, modò interim Comitiorum corpus remaneret; vnionem inter ſe ac concordiam vt arctè tenerẽt, hortatus eſt, ſi cõmunia vota ad felicem exitum perduci cuperẽt; quam ad rem aptiſſimam maximéque idoneam, quæ ad id inſtituta eſſet, ſacramẽti formã iudicauit. Commemorauit denique quantam ex præclara de ſacro Tridentino Concilio publicãdo Comitiorum ſentẽtia voluptatem caperet. Cùm dicendi finem feciſſet, vni ex iis qui à ſecretis erãt, mãdauit illi' ſacramẽti formã, alta voce perlegeret.

Sacramenti Delegatorum forma.

CAROLVS à Lotharingia, Dux Meduanus, Regij Status ac Coronæ Galliarũ Locũtenẽs generalis, Principes, Pares, Coronę Magiſtratus, ac Prouinciarũ delegati, publicorum Frãciæ Comitiorũ corpus referentes, quę Pariſiis nunc habẽtur, ad Religionis Catholicæ, Apoſt. ac Rom. propu-

gnandæ retinendæque ineundas rationes, & hoc tàm calamitoſum afflictúmque regnum, in priſtinũ dignitatis ac ſplendoris gradum reſtituendum; Promittimus & iuramus, nos ad tam vtile piúmque opus vnà ſemper coniunctos fore, nec vllo caſu periculóve quodcumque inciderit, vlli rei aſſenſuros, quæ vel ad promouendam hæreſim, vel Religionem noſtram labefactandam pertineat: pro cuius defenſione nos etiam pollicemur ſacris Summi Pontificis & Sanctæ Sedis decretis iuſsiſque parituros; nec vnquam ab eorum obedientia diſceſſuros. Et quoniam ob multas grauéſque cauſas nondum quidquam de idoneis ad illud bonum cõſequendum rationibus ſtatuere ac definire potuimus: viſum eſt, Comitia, hîc, vel alibi, vt nobis viſum fuerit, continuari. Nihilominus ſi qui fortè Delegatorum abeũdi facultatem peterent, ob eas, quæ legitimæ iudicatæ eſſent, cauſas, conceſſum iri, modò ſe ante diſceſſum ſacramento obſtringãt redituros, aut vt alij in eorum locum ſufficiantur, qui Comitiis adſint, reipſa procuraturos, idq; intra Octobris proximè inſequẽtis finem; quo elapſo tempore, ad integram præcipuorũm, quæ in Comitiis aguntur, nego-

tiorum deffinitionem venietur.

Qua lectione peracta Excellentiſſimus idem Dux Meduanus ſacramentum illud primus in cæterorum exẽplum præſtitit, tùm Illuſtriſsimus Cardinalis Pelleuæus, Principes, Prælati, Viri illuſtres, ac Comitiorũ delegati, ſuo quiſq; gradu ac ordine, impoſita Euangeliis manu, librúmq; exoſculati: quæ ſacramenta in acta relata ſunt.

Quibus actis Illuſtriſſimo Legato obuiã itum eſt, qui vt Concilij publicationi intereſſet, veniebat, in eoque tùm conſeſſu eiſdem exceptus fuit ceremoniis, quibus illo die fuerat, quo benedictionem Commitiorum initiis, Suæ Sanctitatis nomìne impertiturus acceſſerat. Legato igitur, Principibus ac Delegatis præſentibus, ſolemnis lectio & publicatio in hunc modum eſt inſtituta.

DECRETVM PVBLICATIONIS Concilij Tridentini.

CAROLVS à Lotharingia, Dux Meduanus, Locumtenens generalis Status & Coronæ Franciæ; Principes, Pares, ac Magiſtratus eiuſdem Coronæ; Delegati Prouinciarũ, conſtituentes Generales Franciæ Conuentus, qui de ineũdis rationibus quibus Religio Catholica,

Apoſtolica, ac Romana, defendi, & retineri; ipſumque Regnum ad priſtinum decus ac dignitatem reuocari poßit, nunc Pariſiis habentur; Vniuerſis præſentibus, & futuris, ſalutem. Durißima illa flagella, quibus multis abhinc annis miſerè cõcutitur infœlix hoc Regnũ, non aliunde proſiciſci agnoſcimus, quàm ab exardeſcẽte in nos Diuini Numinis ira, ob ingẽtes culpas, ac ſcelera noſtra. Ex quibus nulla alia Diuinam Maieſtatem vel grauiùs offendunt, vel ſeueriùs ab ea vindicantur, quàm illa, quæ cõtra ipſius honorem directè committuntur. Quo in numero, primum ſibi vendicat locum Hæreſis; quæ omnium vtique malorum veluti fons eſt, atq; origo. Sanè ex quo illa primùm ad nos ſibi patefecit aditum, iuſtá Dei animaduerſione, diſsidia noſtra ijs incrementis augeri ſenſimus, quæ nos tãdem, ad vltimas haſce, quibus premimur, calamitates & miſerias adegerunt; ſed & ex priore illo crimine, alterum quoque manauit, & quidem valdè pernicioſum; morũ, ſcilicet, corruptela, ſpretæque paßim Eccleſiaſticæ Conſtitutiones: quarum vſus, & autoritas, cum vbique ferè iaceret, ob nimiam illam, & effrænatam licentiam, quam vnà ſecum inuexit ipſa Hæreſis, eò paulatim progreſſa eſt vitæ morúmque deprauatio, vt ab antiqua illa diſciplina, longè iam deflexiſſe videamur, qua mul-

tis retrò ſeculis Eccleſia Catholica floruit; quæ-que magnam olim Christianiſſimo huic Regno peperit dignitatem. Quemadmodum igitur, geminæ illæ labes cauſæ fuerũt in primis, quæ iratum nobis Deum effecerunt hactenus; ita nihil eſt, quòd ipſum poſthac fore nobis propitium, vel malis noſtris finem impoſiturum ſperemus, niſi nos hæreſim ipſam radicitus euellere, veterémque diſciplinam & morum integritatem Gallicanæ Eccleſiæ reſtituere, omnibus ſtudiis enitamur. Quod vtrumque remediũ, non aliũde præſentius, efficaciús ve peti poſſe intelligimus, quàm ab ipſa Sacroſancti & OEcumenici Cõcilij Tridentini obſeruatione: Nam quod ad doctrinam ſpectat, quæcunque à fidelibus, veréque Catholicis firmiter credẽda ſunt, idem Concilium tàm ſanctè decreuit; vniuerſos identidẽ errores, quos temporũ licentia inuexerat, tanta virtute amputauit, vt re ipſa conſtet, ſancti Spiritus gratiam, eidẽ omninò præfuiſſe: Quod autem ad mores pertinet, hæc eadem ſancta Synodus, priſcas Eccleſiæ leges tanta prudẽtia inſtaurauit, ſacrámque illam diſciplinam, quæ iampridem in hoc Regno viguit, tàm religiosè innouauit, vt nulla alia ratio nobis ſupereſſe videatur, qua antiquum illum ſplendorem recuperare poſſimus, quàm ſi eiuſdem Concilij decreta, ſtudiosè obſeruanda ſuſcipiamus. Qua-

propter, communi omnium conſilio, ac conſenſu, diximus, ſtatuimus, & ordinauimus; dicimus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd prædictum ſacroſanctum, & Œcumenicum Concilium Tridentinum recipietur, publicabitur, obſeruabiturque purè, & ſimpliciter, in omnibus locis huiuſce Regni; prout nunc in Generalibus iſtis Regni Comitijs, idipſum recipimus, & publicamus: Ac proinde vniuerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos hortamur; reliquis verò omnibus Eccleſiaſticis iniungimus, vt pro ſua quiſque parte, decreta, & Conſtitutiones eiuſdem Concilij obſeruent ipſi; & ab aliis quoque faciant obſeruari: ſupremas etiam Curias, ſiue Parlamenta rogamus; Cæteris autem iudicibus vniuerſis, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, cuiuſcunque qualitatis, ac conditionis exiſtant, mandamus, vt ipſum publicari & quæ in eo continentur vniuerſa, iuxta eorum formam, ac tenorem, nullis limitationibus, nec modificationibus adhibitis, obſeruari faciant. Acta, & publicata fuerunt hæc, in Generali Conuentuum Congregatione, Pariſiis habita, præſente Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. Cardinali Placentino Sāctiſſimi D. N. ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, in hoc Regno Franciæ, de latere Legato, Die octaua Menſis Auguſti, M.D.LXXXXIII.

Poſt

Poſt hæc indicto ſilentio, Illuſtriſſimus idem Legatus elegantem ac diſertam concionem habuit, cuius nonnulla quæ ſequuntur capita, excepta ſunt.

Summa Cõcionis illuſtriß. Legati.

Sapientibus Nauarchis id eſſe in more poſitum, vt cùm ſuam nauim videant nimio vndarum ac ventorum contrariorum impetu percelli, vela contrahant, iaciãtque anchoras, quò eam contra procellarũ vim firmam fixámque retineãt, ac tantiſper interim à præteritis laboribus cõquieſcant, vt cùm primùm ſedatã tempeſtatem ventóſque compoſitos ſenſerint, vela expandãt iterum, iterque inſtitutũ perſequãtur. Hac eadem prudentia vſum eſſe illo die Illuſtriſſimum eum cõuentum ſe cenſerę, cui ſine dubio Spirituſſancti gratia adfuiſſet. Etenim cùm inter tot diuiſionum ac diſſenſionum tempeſtates, quas in hoc regno horrendi hęreſeos venti concitaſsent, in eorum vix eſſe poteſtate animaduertiſſent, immẽſam nauim iſtam dirigere, quę Religionẽ Catholicam Statũque contineret, cuiúſque ipſi Nauarchæ eſſent, ad verum ſalutis portum, quò omnia ipſorum vota ſpectarent, vt nũc res ſunt, perducere, ne illam grauiori periculo exponerent veriti, vela ad aliquod tẽpus cõtrahere neceſsarium eſſe duxiſſent, atque interea ſuã

nauim nouis duabus anchoris fixam retinere voluiſſent, quibus nullæ excogitari poſsent firmiores ; Sacroſancti nimirum Tridentini Concilij receptione, ac Sanctæ Vnionis ſacramento ad Fidei ac Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ, & Chriſtianiſſimæ huius Coronæ defenſionem ac conſeruationem, eodem die repetito. Rebus ita conſtitutis , eundem illum Conuentum tantiſper reſpirare ſtatuiſse, donec ſupremus terræ maríſq; moderator,ad perſequendum,quod pro diuinæ ſuæ Maieſtatis gloria inſtituiſset, iter, omnibus expetitam votis ſerenitatem benignus reddidiſset. Atque vt illa Comitiorum actio ſummam ab iis ac æternam laudem erat reportatura , qui reſtitutam in hoc Regno volunt priſcam pietatem atq; diſciplinam, qua illud olim tanta cum laude floruit ; ita velle ſe gratias illis de ea, ex animo,totóque pectore,tam Summi Pontificis, quàm ſuo nomine in præſenti agere. Cæterùm teſtari ſe, vt de ſapientiſſimo qui aderat fortiſſimóque Nauarcha Duce Meduano ſibi certò promitteret, nunquã illum quem à Deo accepiſset clauum eſse deſerturum, ſed ſolita inuictáque animi conſtantia adminiſtraturum:ita ne inanes

eſsent illorum ſupplicationes, néve eam quam in ipſo poſuiſsent ſpem, falleret, in eadem cum ipſis naui ſibi fixum eſse permanere;in eadē cum ipſis ſtantē in carcheſijs adlaborare, vnde quaſi è ſpecula, omnia quantum in ipſo fuerit, eorum diſcrimina proſpiciat, eiſdémq; prouideat; donec S. Hermæ cōſpecto igne, certo futuræ ſerenitatis indicio, eos iterum ad pandēda vela hortari poſset, vt ſecunda Spirituſſancti aſpirante aura, vnà omnes ad portū peruenirent, ad quem pios omnes Catholicos decet aſpirare. interea verò quoniam Deus non oīa ſimul beneficia cōcedat, ſed pro datis agi gratias velit, & pro aliis, quę differret, ſibi ſupplicari, eos ſe orare ac hortari, vt in proximum pariter templū omnes ſe cōferrēt, ſolennes Diuinæ Maieſtati de conceſso eo die munere gratiarū actiones ſoluturi, eidemque ſupplicaturi ſibi in poſterum ſic adeſset, vt ſuperatis feliciter ærumnoſi huius ſeculi tempeſtatibus ac procellis, immortalem denique ac beatam mercedem in cælo reciperent, quæ eis, qui pro eius gloria niterentur eſset cōparata.

Illuſtriſsimus Cardinalis Pelleueus Archiepiſcopus & Dux Rhemenſis, Parque Franciæ, cùm Illuſtriſſimo eidem Legato,

Summa Cō-cionis Illu-ſtriſſ. Card. Pellauai.

tùm D. Duci Meduano Comitiorũ nomine reſpõdit, egítque gratias: ac deinde ad Comitiorum cœtũ conuerſus, Deũ ſe laudare ait, quòd tandẽ poſt tot lachrymas à Chriſto, in piorũ perſona effuſas ſuper hãc Hieruſalẽ, Gallicanã nimirum Eccleſiã; ita denique cõuerſa eſſet, vt quæ ad ſuam pacẽ, & cum Deo reconciliationẽ eſſent, cognouiſſet: Deũ ſe laudare quòd antequàm in exitium rueret, quod illi iam pridem videbatur impendere, Iudęorum populo, de quo in illius diei Euangelio Eccleſia meminiſſet, conſultiùs agens, viſitationis ſuę tempus cognouiſſet, cùm ſacroſanctum Tridentinum Cõcilium, cum omni ſubmiſsione, purè ſimplicitérque recepiſſet: ſe tertiò laudare Deum, quòd vt Chriſt⁹ eo die legebatur illo actus zelo, de quo ſcribitur, *zelus domus tuæ comedit me*, eos qui venderent emeréntque, è templo vbi cuncta inſtaurabat, expuliſſe; ita ſacri illi⁹ cœtus pio animi zelo inflammati cernebantur, omnes qui in Eccleſiã irrepſiſsẽt abuſus profligãdi. Dei reuera dexteræ opus id ſe confiteri, qui quo die Seruatoris noſtri tranſfigurationis memoria ageretur; ita illius pij Cõuentus pectora è bono trãſformaſſet in melius, eíſq; , vt vnanimi cõſenſu

Sacroſanctũ illud Cõciliũ admiterent, inſpiraſset, quo die ſua Seruator noſter comitia habuiſset, quibus pro cælo Pater, Filius ac Spiritusſãctus adeſsẽt; pro terra Chriſt' & Apoſtoli, pro terreſtri Paradiſo Helias, pro iis qui in limbis eſsẽt Moyſes: pro viuis iterũ Apoſtoli, Moyſes pro defũctis: Helias pro Prophetis, pro naturæ ſcriptáque lege Moyſes: DD. Petrus, Ioãnes & Iacobus pro Euangelica, vnus pro Romana Eccleſia, Magiſtra ac ſuprema cæterarum, alter pro Hieroſolymitana: Tertius pro Græca, ad omniũ cõmunẽ mortaliũ ſalutẽ. Singulare ſibi eſse lætitiæ ac voluptatis argumentũ, cùm veros Frãcos videret, veros Catholicos, verós Fidei Chriſtianæ ac veteris patriæ laudis æmulos, ſancta decreta ac præclaras illius Cõcilij cõſtitutiones, cum omni obediẽtia cõplecti. Quod ex illuſtrioribus, quæ in Eccleſia habita eſsẽt, Conciliis vnũ eſse iure prędicaret, ſiue eorũ, qui illud cõfirmaſsẽt, Summorũ Põtificũ haberetur ratio, qui numero quinq; extitiſsẽt, Paulus ſcilicet III. Iulius III. Marcellus II. Paulus IIII. & Pius IIII. magni paſtores, pij homines, & Religionis Chriſtianæ promouẽdæ ac extirpandarum hæreſeon ſtudioſi: ſiue Epiſcoporum numerus dignitáſq; ſpecte-

tur, Prçlatorũ etiã, doctorũ, Legatorũ, qui à Regibus, Principibus, Viris illuſtribus, Rebúſque publicis Chriſtianis veniſsent, multorúmque clarorũ ac inſigniũ virorũ, qui ex omnibus orbis partibus ad illud cõfluxerant: ſiue leges ac præclaræ conſtitutiones attendãtur, quæ in illo ad veritatis confirmationem, hæreſcon refutationem, optimorum denique morum, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurationem latæ eſsẽt. Denique, vt vno verbo abſolueret, ſe id de illo ſacro Concilio verè affirmare poſſe, quòd autoris ſui S. Spiritus notam ſignáque geſtaret, nec ab hominum ingenio iudicióque emanaſſet; ſcire ſe in iis quæ ad Fidem ac doctrinam attinerent, Francos Catholicos nihil vnquam difficultatis habuiſſe; ſed quarumdam tantùm conſuetudinum mutatione commotos, & priuilegiorum abrogatione, de quibus inanem potius opinionẽ cõcepiſſent, quàm quòd vllo veritatis fundamẽto nixa conſiſterẽt: Nũc verò cùm ſe Eccleſiæ legibus, vera integráque obedientia, vt veri legitimíque filij ſubiicerent, Chriſtianiſsimorum titulum, qui Regibus noſtris gẽtíque hereditarium eſſet ac proprium, iure ſibi vẽdicare. Quæ res in meliorẽ eũ, quàm vnquam

de rebus opinionem adduceret, cùm in ea ſemper fuiſſet ſentẽtia, maximã earũ, quas hoc Regnũ à multis annis perpeſsũ eſſet, calamitatũ partẽ, quáſque etiamnũ perſentiret, à ſua in ſanctum Spiritum, ac vniuerſalem Eccleſiã peruicacia permanaſſe, vt iure nobis illud exprobrari potuerit, quod Iudæis D. Stephanus, *ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*. Meminiſſe ſe in hiſtoriis legere, omnes qui in Oriẽtali Eccleſia, ſub Valẽtis imperio, tumultus extitiſſent, Dei permiſſu iuſtóque iudicio, eam vnam ob cauſam contigiſſe, quòd Nicenum concilium reiecisſent, cuius approbationem improbationémve D. Baſilius notam eſſe ſtatuebat, qua hæreticos liceret Catholicóſque diſcernere. D. quoque Ambroſius hęc ad Valentinianum iuniorem ſcribebat; *Sequor*, inquit, *tractatum Niceni Concilij*, *à quo nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* Byzantij, Gręcæque Eccleſiæ perniciem, quæ olim omni adeò pietate doctrináque floruiſſet, non alia de cauſa à Deo permiſſam eſſe, niſi ob illud Schiſma, quo celebri illi Florentino Concilio obſtitiſſent, quæ noſtra adhuc ætate ſub Turcorum ac infidelium dira tyrannide iugóque gemeret. Contrà verò Regna omnia Réſque

Baſil. ep. 78. *Idem Leo. epiſt. 8 ad Leon. imp.* *Ambroſ. Epiſt. 12.*

publicas, quæ Tridentinum Cõcilium admiſiſsent, nominatim verò quaſdam huius Regni prouincias ac Epiſcopatus, Dei beneficia ac benedictiones expertas: ſperare denique fœlix hoc fore initium ad huius Status incolumitatem, omniúmque illius partiũ, quæ deprauatæ ac corruptæ eſsẽt, reformationem, integram denique Religionis ac diuini cultus inſtaurationem.

His peractis ad S^ti Germani Altiſſiodorenſis Eccleſiã, vniuerſus ſe cœtus recepit, vbi hymno, *Te Deum*, decãtato, Illuſtriſſimus Legatus orationem pro agendis gratiis alta voce pronunciauit, poſteáque populum qui frequens aderat, ſua, eáque ſolemni benedictione impertiuit, qua accepta omnes domum redeuntes ac diuinæ pietati de iis, quæ acta eſsent, laudes referentes, ſummæ lætitiæ ac alacritatis ſigna oſtenderunt.

FINIS.

Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

15